An. et vol. XXXXVI 28 Maii - 3 Iunii 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 6-7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 193, 241 – Epistulae, p. 200 – Nuntius radiophonicus, p. 212 – Allocutiones, p. 214 – Oratio ad B. M. V., p. 239.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Proscriptio libri, p. 223 – *S. C. Consistorialis*: Decreta, p. 224 – Provisio Ecclesiarum, p. 229 – Nominatio, p. 231. Normae et facultates, p. 248 – *S. C. Rituum*: Decreta de « Tuto » pro canonizatione Beatorum, p. 231.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citationes edictales, p. 236 – Sententiae et Decreta a. 1953, p. 253.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Cancelleria Apostolica: Nomina – Segreteria di Stato: Nomine – Ufficio di S. E. R. il Maestro di Camera di S. S.: Nomine – Necrologio, pp. 238-240.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXVI, n. 6 - 28 Maii 1954)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE PAG.

I. URBIS (Basilicae S. Mariae Maioris). *Hispaniarum fidelitas.* - Certae statuuntur normae ab Hispanica Natione et a Canonicorum Collegio ad S. Mariae Maioris, in alma Urbe, servandae. - 5 Augusti 1953 . 193

II. MANAQUENSIS. *Est Collegium Canonicorum.* - In metropolitano templo cathedralis ecclesiae Manaquensis Collegium Canonicorum constituitur. 31 Octobris 1953 197

EPISTULAE

I. *Von dem aufschlussreichen.* - Ad praeclaros Guilelmum Nowotny et Victorem Buchgrabe atque Bertham Koref, Praesides Sodalitatis Docentium Catholicorum totius Austriae: ob duodena lustra fauste revoluta ab eadem Sodalitate condita. - 11 August. 1953 200

II. *Summa Dei.* - Ad Emum P. D. Emmanuelem tit. Sancti Laurentii in Lucina S. R. E. Presb. Cardinalem Arteaga y Betancourt, Archiepiscopum S. Christophori de Habana, quinquagesimum sacerdotii annum implentem. - 13 Martii 1954 . . . 201

III. *Procuratores generales.* - Ad Emum P. D. Valerium S. R. E. Presb. Cardinalem Valeri, Praefectum S. Consilii Religiosis Ordinibus ac Sodalitatibus Praepositum: de aptiore ratione ad iuventutem a Sodalibus Religiosis rite instituendam. - 31 Martii 1954 202

IV. *Eruditionis et virtutis.* - Ad Excmum P. D. Iosephum Piazzi, Episcopum Bergomensem, saeculo exeunte ab obitu Cardinalis Angeli Mai. - 3 Aprilis 1954 205

V. *Septimo exeunte saeculo.* - Ad Emum P. D. Georgium tit. Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Presb. Cardinalem Grente, Archiepiscopum-Episcopum Cenomanensem, ob sacra sollemnia peragenda septimo exeunte saeculo a cathedralis templi erectione. - 6 Aprilis 1954 207

VI. *Tibi quum immineret.* - Ad Excmum P. D. Iosephum VII Ghanima, Babylonensem Chaldaeorum Patriarcham, quinquaginta sacerdotii annos expleturum. - 15 Aprilis 1954 . 208

VII. *Pergrata sane.* - Ad Excmum P. D. Ioannem Costantini, Archiepiscopum tit. Colossensem, eundemque Praesidem Pontificii Consilii Primarii Sacrae Arti in Italia moderandae, quinta lustra ab inito episcopatu impleturum. - 24 Aprilis 1954 . . 209

VIII. *Quod, officiosis.* - Ad Excmum P. D. Demetrium Moscato, Archiepiscopum Salernitanum, ob sollemnia in honorem S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, cuius sepulcrum salernitani religiose per decem saecula venerantur. - 1 Maii 1954 210

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Ad christifideles, die Paschatis Resurrectionis D. N. I. C., devota omina Summo Pontifici ac Veneratissimo Patri in foro Sancti Petri proclamantes. - 18 Aprilis 1954 212

ALLOCUTIONES

I. Iis qui interfuerunt Conventibus, Romae habitis, ex Radiologis Electrologisque latinae culturae, atque e Societate Itala Radiologiae Medicalis. - 4 Aprilis 1954 214

II. Pueris ac puellis, scholarum inferioris gradus alumnis, ex Italia ob Conventum Marialem Romae coadunatis, Beatissimo Patri in Basilica Sancti Petri acclamantibus. - 2 Maii 1954 218

ORATIO

ad B. V. M. per Annum Marialem a pueris recitanda 221

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Decretum. Proscriptio libri - 12 Ianuarii 1954 223

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Venetiarum et Tarvisinae.* - Decretum de mutatione finium dioecesium. - 29 Ianuarii 1954 224

II. *De Aguas Calientes - Zacatecensis.* - Decretum de dioecesium limitibus. - 17 Februarii 1954 225

III. *Ibaguensis - Manizalensis.* - Decretum de dioecesium limitibus. - 17 Februarii 1954 227

IV. *Iericoënsis - Quibduani.* - Decretum de mutatione finium dioecesis et vicariatus Apostolici. - 8 Aprilis 1954 . 228

(Sequitur pag. III)

An. et vol. XXXXVI 28 Maii 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

URBIS
(BASILICAE S. MARIAE MAIORIS)

CERTAE STATUUNTUR NORMAE AB HISPANICA NATIONE ET A CANONICORUM COLLEGIO AD S. MARIAE MAIORIS, IN ALMA URBE, SERVANDAE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Hispaniarum fidelitas erga catholicam religionem et Apostolicam hanc Sedem, itemque pietas erga Beatam Virginem Mariam maxima laude dignas edidere significationes per saecula, innumerisque fere confirmantur monumentis. Inter quae sane praestat constans illa atque munifica propensio in primarium Deiparae Mariae Virginis templum, Romae exstans, qua, saeculorum decursu, nobilis Hispaniensis Nationis Principes sese affectos semper ostenderunt.

Quam profecto egregiam pietatem ac regiam liberalitatem praeclarissime testatur in eadem patriarchali Basilica Sanctae Mariae Maioris pium opus ad mentem ac vota Philippi IV Regis sollemniter constitutum die septimo mensis Octobris, anno millesimo sescentesimo quadragesimo septimo ab Innocentio X, Decessore Nostro, per Constitutionem Apostolicam *Sacri Apostolatus*.

Huius pii operis gratia, Sedes episcopales Catanensis et Mazariensis, quae tunc temporis sub Philippi IV dicione et imperio erant, offi-

cium in se recipiebant prima solvendi quotannis duo milia scutorum et ducenta, ex moneta Regni Siciliae, altera vero mille octingenta, quae Collegio Canonicorum Liberiani templi emolumento cederent, Beneficiariis, Clericis, iisque denique omnibus qui ad altare ministrarent, iuxta normas et modum quae eadem Apostolica Constitutione continerentur. Collegio vero Canonicorum illud oneris iniungebatur, ut ter sacra facienda curarent: primum scilicet in die festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, alterum in die octavo a Commemoratione omnium defunctorum, tertium denique die vicesimo tertio mensis Ianuarii, S. Ildefonso dicato; quibus sacris sive regi sive cunctae Hispanorum Genti favores summi Dei impetrarentur.

Quae tamen pacta varios habuere casus, praesertim postquam Ultraiectenses conventiones, anno millesimo septingentesimo decimo tertio initae, ab Hispanis Siciliae regimen eripuerunt. Quibus enim Principibus ea obtigerat administranda, ii contenderunt ad se pertinere sicut onera ita et emolumenta, quae ex bonis dioecesium Catanensis et Mazariensis provenirent quaeque Basilicae S. Mariae Maioris danda essent.

Hinc frequentes et laboriosae pactiones inter Apostolicam Sedem et Reges ac Principes factae sunt rei dirimendae causa, donec, Sicilia cum Regno Italico coniuncta, dioeceses, de quibus mentio facta, praescriptam in Constitutione Apostolica *Sacri Apostolatus* summam apud illud aerarii officium solvere coactae sunt, quod vulgo « Economato dei benefici vacanti » appellabant.

Cum tamen ex commate vicesimo octavo tractationis die undecimo mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo undetricesimo inter Sanctam Sedem et Regnum Italicum regia iura abolita essent, quae in beneficia sive maiora sive minora Reges habebant, itemque in provinciis utriusque Siciliae onera abolita quae annuam tertiam beneficiorum ecclesiasticorum partem gravarent, Collegium Canonicorum ad S. Mariae Maioris enixe flagitavit ut quae pecuniarum summa ex Constitutione *Sacri Apostolatus* sibi deberetur non iam aerario Regni Italici sed Canonicorum Collegio solveretur. Cui postulationi episcopales Sedes Catanensis et Mazariensis primum concesserunt; anno vero millesimo nongentesimo tricesimo tertio repugnaverunt, ea praescripta negantes posse adhuc vigere quae a Philippo IV Rege et a Summo Pontifice Innocentio X fuissent edita et confirmata.

Anno igitur millesimo nongentesimo tricesimo quarto eaedem dioeceses veniam petierunt Collegium Canonicorum in iudicium arcessendi apud Tribunal S. R. Rotae, ad praescriptum canonis 1577, § 2, n. 2 Codicis Iuris Canonici; ea ferme mente ut iudicum sententia declararetur:

« Mensae sive Catanensis sive Mazariensis non tenentur solvere pensiones a Summo Pontifice Innocentio X impositas super redditibus utriusque mensae ».

Cuius tamen Tribunalis cum auctoritas vindicandae rei iuxta ea quae in eadem Constitutione continentur, in dubium vocata esset, Nos, Consilium quorundam egregiae prudentiae virorum constituimus qui rem dirimerent, iisque omnes potestates ad id necessarias tribuimus. Cui Consilio dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Maximum Massimi praefecimus eique venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Eugenium Tisserant et Iosephum Bruno socios dedimus, dilecto Filio Dino Staffa munere a secretis demandato.

Interea, controversia nondum composita, excellentissimus vir Ioachim Ruiz-Giménez, apud hanc Apostolicam Sedem Hispani populi Legatus, Nobis aperuit optare et velle eos, qui Hispanae Genti praessent, dissidium adimere et componere, nulla iudicum exquisita sententia. Immo rationes indicavit, quibus aditus pateret ad eas tractationes, quae ab eius successore excellentissimo viro Ferdinando Maria Castiella initae, ad felicem exitum postea adductae fuerunt.

Itaque in primis haec quae sequuntur utrimque declarantur: perillustris ac valde honorabilis vir Franciscus Franco et Bahamonde, Nationis Hispanicae supremus Moderator, onera, quae infra scribuntur, cunctae suae Gentis nomine suscipiens, vult eam pietatem ac liberalitatem persequi, quas Hispanus populus Deiparae Virgini numquam praeterito tempore non exhibuerit. Item est huic Apostolicae Sedi acceptum et gratum quod tam nobilis Natio vult suae pietatis vincula confirmare, quam in maximum templum Beatae Mariae Virginis, quod in Urbe, in ipso scilicet catholici orbis centro, exstat, semper ostendit.

Convenit vero inter hanc Apostolicam Sedem et Hispanicae Nationis Moderatorem onera mutuo suscepta praesenti Constitutione sanciri, quam in locum Constitutionis *Sacri Apostolatus,* ab Innocentio X, Decessore Nostro, datae, suffici ad omnes iuris effectus; ita ut nemo propter eandem Constitutionem quidquid in posterum sibi vindicare possit.

Eiusmodi vero onera, invicem suscepta, ea sunt quae sequuntur:

1. – Sedes Apostolica primum decernit ut Nationis Hispanicae Moderator Protocanonicus Liberiani templi habeatur, cui honores seu privilegia iuxta traditum morem sint tribuenda, cum sacrarum caeremoniarum sollemnia peragantur. Qui honores, si idem absit, eius legato debentur, inter tria sacra facienda, quae tertio commate huius Conventionis praescribuntur.

2. – Concedit deinde Apostolica Sedes ut unus e Canonicis templi

cium in se recipiebant prima solvendi quotannis duo milia scutorum et ducenta, ex moneta Regni Siciliae, altera vero mille octingenta, quae Collegio Canonicorum Liberiani templi emolumento cederent, Beneficiariis, Clericis, iisque denique omnibus qui ad altare ministrarent, iuxta normas et modum quae eadem Apostolica Constitutione continerentur. Collegio vero Canonicorum illud oneris iniungebatur, ut ter sacra facienda curarent: primum scilicet in die festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, alterum in die octavo a Commemoratione omnium defunctorum, tertium denique die vicesimo tertio mensis Ianuarii, S. Ildefonso dicato; quibus sacris sive regi sive cunctae Hispanorum Genti favores summi Dei impetrarentur.

Quae tamen pacta varios habuere casus, praesertim postquam Ultraiectenses conventiones, anno millesimo septingentesimo decimo tertio initae, ab Hispanis Siciliae regimen eripuerunt. Quibus enim Principibus ea obtigerat administranda, ii contenderunt ad se pertinere sicut onera ita et emolumenta, quae ex bonis dioecesium Catanensis et Mazariensis provenirent quaeque Basilicae S. Mariae Maioris danda essent.

Hinc frequentes et laboriosae pactiones inter Apostolicam Sedem et Reges ac Principes factae sunt rei dirimendae causa, donec, Sicilia cum Regno Italico coniuncta, dioeceses, de quibus mentio facta, praescriptam in Constitutione Apostolica *Sacri Apostolatus* summam apud illud aerarii officium solvere coactae sunt, quod vulgo « Economato dei benefici vacanti » appellabant.

Cum tamen ex commate vicesimo octavo tractationis die undecimo mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo undetricesimo inter Sanctam Sedem et Regnum Italicum regia iura abolita essent, quae in beneficia sive maiora sive minora Reges habebant, itemque in provinciis utriusque Siciliae onera abolita quae annuam tertiam beneficiorum ecclesiasticorum partem gravarent, Collegium Canonicorum ad S. Mariae Maioris enixe flagitavit ut quae pecuniarum summa ex Constitutione *Sacri Apostolatus* sibi deberetur non iam aerario Regni Italici sed Canonicorum Collegio solveretur. Cui postulationi episcopales Sedes Catanensis et Mazariensis primum concesserunt; anno vero millesimo nongentesimo tricesimo tertio repugnaverunt, ea praescripta negantes posse adhuc vigere quae a Philippo IV Rege et a Summo Pontifice Innocentio X fuissent edita et confirmata.

Anno igitur millesimo nongentesimo tricesimo quarto eaedem dioeceses veniam petierunt Collegium Canonicorum in iudicium arcessendi apud Tribunal S. R. Rotae, ad praescriptum canonis 1577, § 2, n. 2 Codicis Iuris Canonici; ea ferme mente ut iudicum sententia declararetur:

« Mensae sive Catanensis sive Mazariensis non tenentur solvere pensiones a Summo Pontifice Innocentio X impositas super redditibus utriusque mensae ».

Cuius tamen Tribunalis cum auctoritas vindicandae rei iuxta ea quae in eadem Constitutione continentur, in dubium vocata esset, Nos, Consilium quorundam egregiae prudentiae virorum constituimus qui rem dirimerent, iisque omnes potestates ad id necessarias tribuimus. Cui Consilio dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Maximum Massimi praefecimus eique venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Eugenium Tisserant et Iosephum Bruno socios dedimus, dilecto Filio Dino Staffa munere a secretis demandato.

Interea, controversia nondum composita, excellentissimus vir Ioachim Ruiz-Giménez, apud hanc Apostolicam Sedem Hispani populi Legatus, Nobis aperuit optare et velle eos, qui Hispanae Genti praessent, dissidium adimere et componere, nulla iudicum exquisita sententia. Immo rationes indicavit, quibus aditus pateret ad eas tractationes, quae ab eius successore excellentissimo viro Ferdinando Maria Castiella initae, ad felicem exitum postea adductae fuerunt.

Itaque in primis haec quae sequuntur utrimque declarantur: perillustris ac valde honorabilis vir Franciscus Franco et Bahamonde, Nationis Hispanicae supremus Moderator, onera, quae infra scribuntur, cunctae suae Gentis nomine suscipiens, vult eam pietatem ac liberalitatem persequi, quas Hispanus populus Deiparae Virgini numquam praeterito tempore non exhibuerit. Item est huic Apostolicae Sedi acceptum et gratum quod tam nobilis Natio vult suae pietatis vincula confirmare, quam in maximum templum Beatae Mariae Virginis, quod in Urbe, in ipso scilicet catholici orbis centro, exstat, semper ostendit.

Convenit vero inter hanc Apostolicam Sedem et Hispanicae Nationis Moderatorem onera mutuo suscepta praesenti Constitutione sanciri, quam in locum Constitutionis *Sacri Apostolatus,* ab Innocentio X, Decessore Nostro, datae, suffici ad omnes iuris effectus; ita ut nemo propter eandem Constitutionem quidquid in posterum sibi vindicare possit.

Eiusmodi vero onera, invicem suscepta, ea sunt quae sequuntur:

1. – Sedes Apostolica primum decernit ut Nationis Hispanicae Moderator Protocanonicus Liberiani templi habeatur, cui honores seu privilegia iuxta traditum morem sint tribuenda, cum sacrarum caeremoniarum sollemnia peragantur. Qui honores, si idem absit, eius legato debentur, inter tria sacra facienda, quae tertio commate huius Conventionis praescribuntur.

2. – Concedit deinde Apostolica Sedes ut unus e Canonicis templi

S. Mariae Maioris sit semper natione Hispanus; qui ex eo die eligi incipiet quo aliquod ex Canonicorum beneficiis primum vacaverit. Hunc canonicum Apostolica Sedes libere eliget, eo tamen pacto ut, antequam certus Canonicus declaretur, eius nomen secreto iis aperiat qui Hispanicae Nationi praesunt, ut cognoscat num ipsi aliquam iustam causam habeant huic electioni opponendam. Huius Canonici, qui eadem emolumenta percipiet ac ceteri Canonici, erit Sanctae Sedi indicare num in eroganda ac distribuenda pecunia, quam Hispanica Natio largiatur, aliter actum sit ac Apostolica Sedes, ad normam sequentis commatis quarti, statuerit.

3. - Cavet tertium haec Sancta Sedes sua auctoritate ut singulis annis in Basilica Liberiana ter sacra Canonici faciant: quorum primum in die festo Beatae Mariae Virginis Caelo receptae, alterum in festo Immaculatae Conceptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis; tertium denique in festo S. Ferdinandi, qui fuit Hispanorum Rex, cum Hispanicae Genti tum supremo eius Moderatori felicitatis impetrandae gratia.

4. - Spondet invicem Hispanica Civitas se esse quotannis, Kalendis Ianuariis, octo milia aureorum nummorum persoluturam, qui eorum lingua « pesetae » dicuntur. Cuius summae definiet haec una Apostolica Sedes quaenam cotidianarum et ordinariarum distributionum pars cedat Canonicis, Beneficiariis et Clericis Beneficiariis; quaenam distributionum extraordinariarum pars sit dispensanda «inter praesentes» celebrationi trium illorum sacrorum, quorum mentio est in commate tertio; quaenam denique pars impendenda sit in tria eadem sacra facienda, quaenam Basilicae cedat vel cultus exercendi vel templi restaurandi causa.

Quas pactiones, feliciter ordinatas, supremaque auctoritate Nostra sancitas considerantes, facere non possumus quin nobili Hispaniarum Genti et Nostram iterum propensam testemur voluntatem et gratulemur vehementer de declarata in Beatissimam Deiparam Virginem pietate inque Apostolicam Sedem obsequio, simulque multis optemus votis ut Caelestium Regina exhibitam sibi venerationem rependat, faventem prosperitatem fidelissimae Hispanicae Nationi pro merito impertiens.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus.

Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel

corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur.

Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die quinto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Protonotarius Apost.*
Albertus Serafini, *Protonotarius Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap. Vol. LXXXVII, n. 83.

II

MANAQUENSIS

IN METROPOLITANO TEMPLO CATHEDRALIS ECCLESIAE MANAQUENSIS COLLEGIUM CANONICORUM CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Est Collegium Canonicorum coetus eorum Sacerdotum qui in maioribus cuiusque dioecesis negotiis, post multam rerum agendarum deliberationem, sincero consilio Episcopis sententiam aperiunt; haud parum praeterea conferunt sive sua gravitate sive decore ad divini cultus splendorem caeremoniarumque pulchritudinem. Quae sane intellegens venebilis Frater Vincentius Alexander González y Robleto, Archiepiscopus Manaquensis, enixe petiit ab hac Apostolica Sede ut benigne concederetur Canonicorum Collegium in cathedrali templo suae archidioecesis erigi. Sacra vero Congregatio Consistorialis, potestatibus ac facultatibus usa a Nobis sibi concessis, post auditam sententiam venerabilis Fratris An-

tonii Taffi, Archiepiscopi titulo Sergiopolitani eiusdemque apud Respublicas Honduriensem et Nicaraquensem Apostolici Nuntii, exhibitis precibus annuendum censuit. Quae Nos, quibus omnia probantur, cum aliquid spei affulgeat augendae hic in terris Christi gloriae, rata habentes, eorumque consensum supplentes qui aliquod ius hoc in negotio habeant, ea quae sequuntur statuimus ac decernimus. In Manaquensi metropolitano templo Canonicorum Collegium per has Litteras constituimus, quod, uti patet, eadem dignitate ornabitur ac cetera metropolitana id generis Collegia. Hic Canonicorum coetus constabit duabus Dignitatibus, quae dicuntur, Decanatu, scilicet, et Archidiaconatu; tribusque Canonicis, quorum alter theologi officio fungetur, alter admissis fidelium christianorum expiandis operam dabit, tertio denique doctorale munus concredetur. Quibus omnibus, sive Canonicis sive Dignitatibus, potestatem facimus ut quoadusque singulus titulus proprium beneficium non habeat, alio quoque beneficio uti valeant, etsi cum animorum cura coniuncto. Quod vero ad conventus attinet, Deo sacris caeremoniis colendo aliisque sui officii muneribus persolvendis, indulgemus ut occupatis Canonicis in pastoralibus rebus, his tantum diebus habeantur: die, videlicet, Nativitatis et Circumcisionis D. N. I. C., feria IV Cinerum, die Dominica Pentecostes, in festis Sacratissimi Corporis Christi, Sacratissimi Cordis Iesu, D. N. I. C. Regis; in Assumptione et Conceptione B. M. V. de Guadalupe; in festo S. Ioseph Sponsi B. M. V.; in sollennitatibus Omnium Sanctorum, SS. Petri et Pauli, S. Iacobi Apostoli, cui est metropolitanum dicatum, S. Turibii Mogrovejo, qui est Patronus princeps archidioecesis, in Dedicatione S. Michaëlis Archangeli, Patroni urbis Manaquae, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum in Dedicatione denique Ecclesiae metropolitanae. Assignatio beneficiorum, sive quae Dignitatibus sive quae Canonicis tribuuntur, ad normam iuris communis facienda est, praeterquam cum eadem a Nobis seu ab Apostolica Sede assignanda erunt. Antequam vero quilibet Canonicorum in sui beneficii possessionem veniat, fidei professionem facere debet et praescripta iura iuranda rite dare. Cum autem ii, qui sui Archiepiscopi senatum et consilium constituunt, ceteros Sacerdotes dignitate praecellant, congruum quoque est eos singulari ac decoro quodam habitu indui, dum sacra peragant vel sacro operantibus assistant. Qua de re, concedimus ut Canonici metropolitanae Ecclesiae Manaquensis, intra fines tamen suae archidioecesis, gestare valeant vestem nigram cum ocellis, globulo, torulo et subsuto violacei coloris, sericam zonam violaceam cum laciniis eiusdem coloris et caligas pariter coloris violacei. Vestes autem chorales erunt sequentes: rochetum cum refle-

xibus in manicis violacei coloris ornatum. Volumus tandem ut simul ac metropolitanum Canonicorum Collegium erectum fuerit, eo ipso Consultores dioecesani a suo munere cessent. Cetera omnia quae respiciant modo institutum Collegium, haec omnia Codice Iuris Canonici omnino regantur. Quae vero his Litteris conscripsimus exsequenda curabit venerabilis Frater quem supra nominavimus Antonius Taffi, in Rebuspublicis Honduriensi et Nicaraquensi Apostolicus Nuntius, vel ille qui cum res ad exitum adducenda erit ei Nuntiaturae praeerit. Cui vero contigerit negotium perficiendum, ei omnes potestates conficiendae rei tribuimus, cuilibet sacerdoti subdelegandas, si opus fuerit, in ecclesiastica dignitate constituto, onere imposito documenta exarandi eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittendi. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam habeant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter siquis, quavis praeditus auctoritate sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis vel locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Roman, die uno et tricesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

✠ Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 80.

EPISTULAE

I

AD PRAECLAROS GUILELMUM NOWOTNY ET VICTOREM BUCHGRABER ATQUE BERTHAM KOREF, PRAESIDES SODALITATIS DOCENTIUM CATHOLICORUM TOTIUS AUSTRIAE: OB DUODENA LUSTRA FAUSTE REVOLUTA AB EADEM SODALITATE CONDITA.

Von dem aufschlussreichen Bericht, den Sie Uns am 26. des vergangenen Monats über Geschichte, Grundhaltung und Ziele der « Katholischen Lehrerschaft Österreichs » und deren bevorstehendes 60 jähriges Bestehen zukommen liessen, haben Wir mit Genugtuung und Freude Kenntnis genommen.

Genugtuung, weil Ihre Vereinigung nach schweren Jahren der Verfolgung durch eine kirchenfeindliche Staatsgewalt, die bewusst im Gegensatz zur Glaubenslehre der Kirche und zur Weltanschauung des Katholiken stand, doch wieder eine moralische Macht wurde, die heute als die grösste österreichische Lehrerorganisation dasteht. Trost und Freude aber erfüllt Uns, da Wir feststellen dürfen, dass die katholische Lehrerschaft Österreichs in gleicher Weise treu für die bewährten Grundsätze katholischer Erziehung eintritt, wie es der damalige « Schulverein » tat, den der Arzt Kaspar Schwarz vor nunmehr 60 Jahren gründete.

Mit Dank gegen die göttliche Vorsehung überschauen Wir all den Segen, der durch Ihre Vereinigung Schule und Elternhaus, Kirche und Staat in Ihrer österreichischen Heimat erwachsen ist. Möge es in der Zukunft auch so bleiben!

Wenn die erschütternden Vorgänge der vergangenen Jahrzehnte etwas gelehrt haben, dann gewiss dies eine, dass die Heranbildung des ganzen Menschen in seiner gesamten Struktur geschehen muss aus dem Geiste Christi, aus jenen Erziehungskräften, die Er in seiner Stiftung niedergelegt, und damit aus der Erziehungsweisheit, die seine Kirche im Laufe von fast zweitausend Jahren gesammelt hat. Diese Weisheit aber wird am vollsten ausgewertet, wenn zwischen Schule und Elternhaus, wie Wir es anlässlich Unseres silbernen Bischofsjubiläums ausführten, gegenseitiges Vertrauen und fruchtbare Zusammenarbeit besteht (cfr. Radiobotsch. vom 13. Mai 1942), dies besonders gegenüber einer vom Geist des Materialismus beeinflussten, ja beherrschten Schule, die vergiftet und vernichtet, was Vater und Mutter in einem christlichen

Elternhaus opfervoll aufgebaut haben. Wir freuen Uns daher des starken Beitrags, den die Zeitschrift Ihrer Vereinigung « Die Österreichische Pädagogische Warte » zur Förderung lebendiger Beziehungen zwischen Schule und Elternhaus beigesteuert hat und immerfort beisteuert.

Ihrem Planen, Arbeiten und Hoffen erflehen Wir Gottes Licht und Gnade, und erteilen Ihnen wie allen, die an der Festfeier des bevorstehenden Jubiläums in Wien gegenwärtig sein werden, wie auch allen denen, die im Geiste an ihm teilnehmen und zu Ihren Reihen gehören, als Unterpfand der überreichen Liebe des göttlichen Lehrmeisters in väterlichem Wohlwollen den erbetenen Apostolischen Segen.

Aus dem Vatikan, am 11. August 1953.

PIUS PP. XII

II

AD EMUM P. D. EMMANUELEM TIT. SANCTI LAURENTII IN LUCINA S. R. E. PRESB. CARDINALEM ARTEAGA Y BETANCOURT, ARCHIEPISCOPUM S. CHRISTOPHORI DE HABANA, QUINQUAGESIMUM SACERDOTII ANNUM IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Summa Dei beneficia suavi recordatione repetere eidemque caelesti Largitori ampliores interdum ac sollemniores gratias referre, piissimum exstat caritatis officium simulque, inter cotidianos labores, iucunda quaedam animi requies ac delectamentum. Hoc profecto tibi proxime continget, quum quinquaginta sacerdotii tui annos expletos commemorabis. Cogitationes enim curasque tuas, hoc diuturno temporis spatio, in sacro obeundo munere collocasti, ut animas tibi creditas Christo lucrifaceres. A primaevo quidem iuventutis flore, sive patria extorris in urbe Venetiolae Capite, sive in ditione ista Habanensi, munera praesertim paroecialia et Vicarii Generalis istic gerens, ipsiusque deinde cathedralis ecclesiae gubernacula per duodecim iam annos tenens, egregia erga Ecclesiam merita tibi comparasti. Neque minus profecto tua virtus in scribendo docendoque eluxit, quum ingenuis litteris sacrisque doctrinis et iurisprudentiae studiose vacasti, periodicis quoque commentariis coetibusque catholicis moderando aut sollertem operam navando. Has itaque laudes iucunda complectentes memoria, Nos, qui plura tibi existimationis ac benevolentiae dedimus testimonia, maxime quum temet ipsum Roma-

nae purpurae splendore libenter decoravimus, hanc novam feliciterque oblatam occasionem praeterire nolumus, quin laetos animi Nostri sensus tibi aperiamus. Quapropter communem tuorum laetitiam adaugere exoptantes, tibi, Dilecte Fili Noster, de sacro ac pastorali ministerio tam diu actuoseque exercito magnopere gratulamur, Deum instanti precatione exorantes, ut te seros plane in annos, uberrimis salutis fructibus ditatos, benigne sospitare velit. Quo interea proxima sacri eventus celebratio salutarior christiano populo evadat, tibi ultro facultatem concedimus, ut, die constituta, post Sacrum pontificali ritu peractum, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Supernorum denique donorum conciliatrix et praenuntia, peculiarisque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, universoque clero ac fidelibus tuae vigilantiae demandatis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIII mensis Martii, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

III

AD EMUM P. D. VALERIUM S. R. E. PRESB. CARDINALEM VALERI, PRAEFECTUM S. CONSILII RELIGIOSIS ORDINIBUS AC SODALITATIBUS PRAEPOSITUM: DE APTIORE RATIONE AD IUVENTUTEM A SODALIBUS RELIGIOSIS RITE INSTITUENDAM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Procuratores generales octo Religiosarum Sodalitatum laicalium, quibus est ex peculiari instituto cuiusque suo iuventutem rite instituere atque educare, postquam superiore anno Lutetiae Parisiorum annuum ex Galliae Natione conventum celebratum fuit, officiosas ad Nos dedere litteras, quibus et de rebus actis agendisque Nos certiores fecerunt, et a Nobis demisso observantique animo petiere, ut paternam ipsis mentem aperiremus Nostram, eaque indicaremus, quae ad auctiora in dies ac salubriora assequenda incrementa pertinere viderentur.

Id presse breviterque per has Litteras facimus libentes; imprimisque gratulamur admodum quod hos sodales novimus in illud studiosa actuosaque voluntate incumbere sibi creditum munus, quod Ecclesiam, domesticum convictum, ipsamque civilem societatem iuvare potest quam ma-

xime. Res enim magni momenti agitur. Iuvenes nempe florida futuri aevi spes sunt; ex iisque praesertim, qui humanioribus litteris omneque genus disciplinis instruuntur ut non modo privata, sed publica etian munia aliquando suscipere queant, procul dubio pendet advenientis aetatis cursus. Si eorum mens Evangelii luce illustretur, si eorum animus christianis informetur praeceptis, eorumque voluntas divina roboretur gratia, tum sperare licet fore ut nova succrescat iuventus, quae difficultates, discrimina perturbationesque, quibus in praesens angimur, feliciter superare queat, et quae doctrina, virtute exemploque suo possit meliorem aliquando sanioremque componere societatem. In id religiosae quoque Sodalitates laicales, ut magno cum solacio novimus, allaborant, sapientibus illis ductae normis, quas Conditores cuiusque sui sacra quasi hereditate impertiere. Hoc cupimus agant non modo sollertia, diligentia ac sedulitate summa, sed superno etiam eo spiritu animatae, quo humanae res florescere salutaresque edere fructus possunt. Ac nominatim contendant optamus ut sibi crediti adulescentes doctrina imbuantur non tantum sincera et a quibusvis erroribus immuni, sed peculiaribus etiam artibus ac rationibus illis aperta et consona, quas in singulas disciplinas hodierna induxit aetas.

Quod autem praecipuum est, ex religiosa, quam iidem debent impensissime vivere, vita supernaturales vires hauriant, quibus discipulos suis demandatos curis ad christianam virtutem conforment, quemadmodum munus ab Ecclesia ipsis concreditum omnino postulat. Hac enim virtute posthabita vel reiecta, nihil litterae, nihil humanae disciplinae valent ad rectam vitam instituendam; quin immo eadem fieri possunt, praesertim in cerea hac aetate, quae facile in vitium vertitur,[1] callida pravitatis atque adeo infelicitatis instrumenta.

Invigilent igitur iuvenum animis; eorum indolem, secretas eorum impulsiones, eorumque intimos motus, interdum inquietos ac sollicitos, intellegant penitus sapienterque moderentur; ac pro viribus accurent ut fallaciae, quae virtuti insidientur, quam primum et quam diligentissime propulsentur, ut quaevis pericula, quae animi candorem fuscare possint, removeantur, utque omnia circa eos ita succedant, ut, dum mens veritate collustratur, voluntas quoque recte fortiterque temperetur et ad omne bonum amplectendum permoveatur.

Noscunt profecto Religiosi hi Sodales adolescentium educationem artem esse artium et scientiam scientiarum,[2] sed noscunt etiam se ex impetrato divino auxilio omnia posse, secundum illud Apostoli gentium:

[1] Cfr. *Hor., Art. Poët.*, 163.

[2] Cfr. *S. Greg. Naz.*, orat. II; MIGNE P. G XXXV, 426.

« Omnia possum in eo, qui me confortat ».[3] Pietatem igitur colant quam maxime, ut eos addecet, qui quamvis « Religioni clericali » addicti non sint, sunt tamen in Religiosam Sodalitatem laicalem legitime adsciti.[4] Quae quidem Religiosa Sodalitas, quamvis fere unice ex iis constet, qui, peculiari Dei vocatione, sacerdotii dignitate iisque solaciis, quae ex eo oriuntur, renuntient, magno tamen apud Ecclesiam in honore est, ac sacros ipsos administros in christiana iuventutis conformatione summopere adiuvat. Siquidem, ut occasione data iam animadvertimus « status religiosus nullo modo reservatur ad unam vel alteram duarum partium, quae ex iure divino in Ecclesia exstant, cum tum clerici, tum laici itidem Religiosi esse queant ».[5] Quodsi Ecclesia laicos etiam hac dignitate et hoc munere donavit, id profecto luculentissime omnibus significat utramque sacram militiam posse, magna sane cum utilitate, et ad suam et ad ceterorum salutem peculiaribus illis canonicis rationibus ac normis, quibus unaquaeque regitur, allaborare.

Quare nemo illarum Sodalitatum socios, eo quod ad sacerdotium non ascendant, itemque eorumdem apostolatus fecunditatem minoris aestimet. Nobis praeterea in comperto est eosdem ita adolescentes suae ipsorum curae commissos instituere atque educare, ut ex iisdem plurimi, qui videantur superno quodam afflatu vocari, ad sacerdotium suscipiendum feliciter adducantur. Neque defuere in horum discipulorum agminibus, qui et in sacrorum Antistitum et in Patrum etiam Cardinalium numerum summa cum laude adsciscerentur. Quamobrem hac etiam de causa, dum Religiosae id genus Sodalitates Nostram totiusque Ecclesiae debitam merentur laudem, sacrorum etiam Antistitum ceterique cleri gratam sibi conciliant voluntatem; quandoquidem adiutricem iisdem validamque navant operam non modo in recta adolescentium institutione procuranda, sed in novis etiam sacrorum Ordinum candidatis divina opitulante gratia excitandis.

Pergant igitur illam, quam institerunt, viam actuosiore in dies alacritate tenere; unaque cum ceteris Religiosis Ordinibus ac Sodalitatibus, quibus haec eadem causa credita est, in iuventutis institutionem educationemque concordi ac volenti animo incumbant.

Nos, ut supplici prece divinum eis impetramus auxilium, ita huius auspicem peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, Dilecte Fili Noster, tum singulis universis harum Sodalitatum moderatoribus,

[3] *Philipp.* IV, 13.

[4] Cfr. *C. I. C.*, can. 488.

[5] Alloc. conventui generali ex universis Religiosis Ordinibus ... Romae habito; *A. A. S.*, 1951, p. 28.

assectatoribus et alumnis Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXXI mensis Martii, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EXCMUM P. D. IOSEPHUM PIAZZI, EPISCOPUM BERGOMENSEM, SAECULO EXEUNTE AB OBITU CARDINALIS ANGELI MAI.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Eruditionis et virtutis fama praeclaros homines grata memoria recolere cum iure meritoque semper probandum sit, tibi, Venerabilis Frater, et Bergomi magistratibus et ecclesiasticis viris civibusque illustribus impense gratulamur, quod Angelum Mai, propterea quod ab eius obitu centum explentur anni, dignae vultis laudis obsequio honestare.

Doctissimus hic purpuratus pater, qui ubique terrarum inclita gloria claret, praecipuo perpetuoque est decori Bergomo, cuius in dioecesis finibus primum vitales hausit auras, ac sui spem optimam dedit, cum iuvenilis aetatis annis florens acutae mentis spectanda praebuit specimina. Quodsi quidem Parma, Neapolis ac praesertim Mediolanum, ubi in perinsigni Ambrosiana Bibliotheca indagando scribendoque sollertem operam navavit, eius aluerunt et confirmarunt ingenium, procul dubio Roma doctrinae eius adauxit spatia viresque. In religionis autem pietate haud paulum enituit, insignium sodalium Societatis Iesu et cumprimis Beati Iosephi Pignatelli familiaritate usus. Romae profecto Apostolica Vaticana Bibliotheca campum finesque quam latissimos ipsi praebuit, ubi ab eo multum consumeretur laboris et exerceretur ingenium. Nam a Romanis Pontificibus per saeculorum decursum ibi locuplentissimus asservatur documentorum, codicum, librorum typis excusorum thesaurus, qui doctorum hominum turbam ad se arcessere solet ad ea inquirenda quae exactarum aetatum cogitata, gesta, memorias spectant. Ibi, ut primi ordinis custos atque postea Cardinalis Bibliothecarius, alacriter et diu elaborans, philologiae et palaeographiae cultor, ipse summae gravitatis opera exaravit, quorum immortalis perstat fama et probatur utilitas. Nos igitur, grati animi quoque profitendi causa erga virum, Apostolicae Sedi apprime deditum, celebritatibus et coetibus, qui istic eius nominis memoriam consecrabunt, participatione Nostra piae laetitiae quodammodo im-

ponere volumus sertum, vota Nostra adicientes, ut ab eo cumulatis laudibus et meritis haud impar tribuendus honor pariter multos ad grandia pro Ecclesia et Patria agenda commoveat.

Angelus Mai enim iis perpetuum praelucebit in exemplum, qui ad veritatis studium se conferre contendunt. Quanta enim iudicii acie, quanta eruditionis varietate et praestantia, quanta linguarum cognitione, quanta in exsequendis rebus dexteritate, nulli parcens labori, in sacrae et civilis antiquitatis investigationem et studia incubuit, hanc etiam palmam assecutus, quae polito luculentoque scriptori debetur, cum gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscendum curat.

In comperto est eum multa peritia et prosperorum eventuum felicitate palimpsestos legisse. Ciceronis De re publica et Frontonis litterae, opera in rescriptis codicibus magna ex parte reperta ac typis edita, aliaque antiquorum auctorum ab ipso inventa documenta effecerunt, ut insigniter eius nomen virorum volitaret per ora. Ex eius vero litterarum monumentis, quae bene multa sunt, nunc fas est, ut saltem praecipua, quae maioris molis et ponderis sunt, heic memorentur: « Scriptorum veterum nova collectio », « Classici auctores e Vaticanis codicibus editi », « Specilegium romanum », « Nova Patrum bibliotheca ».

Profecto Angelus Mai, virtutum meritis praeclarus ac praesertim effusae in egenos liberalitatis laude conspicuus, necnon « scriba doctus in rebus regni caelorum »,[1] qui doctrinae ubertate suae futurarumque aetatum hominibus exempla attulit, quae ad honestos conformandos mores conferunt, et emolumenta comparavit, unde gentium humanitas alitur, ad Deum vitae, luminis, felicitatis fontem atque principium, pio suo monet hortatu accedendum esse iis, qui veritatem investigando et docendo, aliorum itineris ductores esse videntur. Haec sunt congruentia tempori nostro vota, ubi ad utilia et ad voluptates praecipue conversae disciplinae et artes mores evertunt et obscuras praeparant minas.

Multum denique optantes, ut ad recolendum Angelum Mai stata sollemnia feliciter cedant, ac praesertim eius cives et Itali multi ad terendam virtutis viam, incitamentum capiant, nihil arbitramur Nobis esse nunc reliqui, nisi ut tibi, Venerabilis Frater, Bergomi magistratibus et universis, qui decretis celebritatibus intererunt, Apostolicam Benedictionem superni auxilii pignus, impertiamur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Aprilis anno MCMLIV, Pontificatus Nostri decimo sexto.

PIUS PP. XII

[1] MATTH., 13, 52.

V

AD EMUM P. D. GEORGIUM TIT. SANCTI BERNARDI AD THERMAS S. R. E. PRESB. CARDINALEM GRENTE, ARCHIEPISCOPUM-EPISCOPUM CENOMANENSEM, OB SACRA SOLLEMNIA PERAGENDA SEPTIMO EXEUNTE SAECULO A CATHEDRALIS TEMPLI ERECTIONE.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Septimo exeunte saeculo, ex quo templum cathedrale, super antiquioris vestigia erectum, rite istic est consecratum, ut libenter didicimus, sollemnia sacra in eodem proxime peragentur. Iure quidem ac merito in memoriam revocabitur historia sacrae huius aedis, quae et mira praesertim audacique structurae forma et vitrorum imaginumque splendore exstat perinsigne artis Romanae-Gothicae in Gallia monumentum. Cum ipso autem cathedrali templo cohaeret plane historia civitatis et dioecesis Cenomanensis, cuius est in primis documentum fidei pietatisque praeclarissimum. Omnia profecto, quae istam Dei Domum exornant atque illustrant, columnarum proceritas ac celsitudo ceteraque architecturae decoramina, exsculptae pictaeque imagines, peristromata affabre elaborata, nitidi ministrorum ornatus, sacrae pompae rituumque caerimoniae mortalium animos ad religionis officia exsequenda, ad errata quaeque expianda, ad spem immortalis vitae fovendam suaviter alliciunt trahuntque. Proxima igitur sollemnia septies saecularia non modo Nostra auctoritate probamus commendamusque, verum debita quoque laude honestamus cupimusque, ut eadem secundum felicemque exitum sortiantur. Iucundam praeterea opportunitatem nacti, tibi Dilecte Fili Noster, qui iam quinque et triginta annos in pastorali munere studiose incubuisti et beati Petri cathedrae adsiduo fidelique obsequio adhaesisti, usum Pallii *ad personam* singulari privilegio concedimus, ut sit velut conspicuum tuarum virtutum testimonium atque decus. Quo interea festus dies salutarior gregi tuo evadat, tibi ultro potestatem tribuimus, ut, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Caelestis denique auxilii in auspicium, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Di-

lecte Fili Noster, egregio Episcopo Auxiliari tuo, universoque clero ac populo tuae curae tradito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VI mensis Aprilis, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

VI

AD EXCM̃UM P. D. IOSEPHUM VII GHANIMA, BABYLONENSEM CHALDAEORUM PATRIARCHAM, QUINQUAGINTA SACERDOTII ANNOS EXPLETURUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Tibi quum immineret, quadriennio ante, quintus ac vicesimus ab inito episcopatu annus, benevolentiam Nostram ac secunda omina per epistulam publice significavimus, plures egregiasque pastoralis tui muneris laudes suaviter memorantes. Nuper autem certiores facti sumus, te proximo mense Maio decem a suscepto sacerdotio lustra, clero ac populo tibi commisso iusta gestiente laetitia, fauste esse celebraturum. Quam quidem iteratam opportunitatem praeterire nequimus, quin iucundi eventus celebrationem felicibus plane votis prosequamur, communemque istic laetitiam cumulemus. Tibi igitur, Venerabilis Frater, de diuturno sollertique ministerio sacro magnopere gratulamur, saluberrima dona ac solatia in tui quoque gregis incrementum a divina liberalitate ominantes. Quo interea sollemnia proxima utiliora christiano populo existant, tibi ultro facultatem largimur, ut, statuta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Superni denique auxilii conciliatrix, praecipuique Nostri amoris testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, simulque clero ac populo tuo regimini tradito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Aprilis, feria V in Coena Domini, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

VII

AD EXCMUM P. D. IOANNEM COSTANTINI, ARCHIEPISCOPUM TIT. COLOSSENSEM, EUNDEMQUE PRAESIDEM PONTIFICII CONSILII PRIMARII SACRAE ARTI IN ITALIA MODERANDAE, QUINA LUSTRA AB INITO EPISCOPATU IMPLETURUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Pergrata sane animi Nostri delectatione percipimus, te propediem quintum ac vicesimum episcopatus tui natalem et proximo anno decem a suscepto sacerdotio lustra, divino favente Numine, fauste esse peracturum. Cuius quidem duplicis sacri eventus commemoratio praeclaram Nobis exhibet opportunitatem publice existimationem ac benevolentiam erga te Nostram patefaciendi. Auspicato enimvero primam hostiam Deo obtulisti die ipso nominali Beati Pii X, Nostri sanctae memoriae Decessoris, qui te admodum diligebat, teque, quum esset Venetiarum Patriarcha, ex tua ipsa dioecesi Concordiensi ad suam tranferendum putavit mittendumque deinde adulescentem clericum Romam, quo sacris doctrinis disciplinisque aptius altiusque institueretis. Sacerdos autem novensilis, curriculo sacrae theologiae exacto, Venetias revertisti, ubi Cardinali Patriarchae La Fontaine operam tuam navasti atque in Seminario clericorum Patriarchali docendi munere perfunctus es. Post vero ruinas prioris belli, quod in Europa inque pluribus orbis terris desaeviit, opus instituisti ad reficiendas Italiae ecclesias ferro ignique hostium deletas vel graviter sauciatas, simulque Sancti Philippi Nerii institutum pro militum liberis belli tempore natis, qui peculiari cura tutelaque indigebant, una cum Celso fratre tuo, nunc S. R. E. Cardinali, peropportune condidisti. Interea in lucem edebas commentaria, quae inscribuntur « Arte cristiana » atque « Fede e Arte », quaeque adhuc moderaris, typisque mandabas una cum eodem fratre tuo opera in usum artificum alumnorumque scholarum, ad eandem sacram artem perdocendam atque illustrandam. Hanc equidem operum laborumque nobilitatem ac sollertiam respiciens, Pius Pp. XI, Noster ven. mem. Decessor, administrationem Apostolicam Lunensem tibi concredidit et, viginti quinque abhinc annos, primum Episcopum te nominavit in nova dioecesi Lunensi seu Spediensi, Sarsanensi et Brugnatensi, cuius constitutioni studia et consilia tua contuleras. Regiminis tui pastoralis perspicua exstant documenta tot aedes sacrae et paroeciales, inter quas templum cathedrale, Seminariorum redintegratio

et vocationum ecclesiasticarum clerique incrementum, novae familiarum religiosarum sedes et scholae, consociationes Actionis Catholicae multiplicatae, celebratio Synodi dioecesanae per quam salutaris. Nos autem, qui industriam tuam ac peritiam perspectam semper habuimus, temet ad dignitatem archiepiscopalem proveximus et Nostro Consilio sacrae arti in Italia moderandae praeposuimus; cui quidem Consilio munus peculiare maximeque laboriosum commisimus curandi fovendique redintegrationem ecclesiarum aedificiorumque ecclesiasticorum, quae infandis recentioris belli ictibus perculsa, in tota fere Italia tot tantasque dederant ruinas. Huic sane muneri tu curas et sollicitudines actuose alacriterque impendisti. Tibi igitur, Venerabilis Frater, de sacro ac pastorali officio tam diu fructuoseque gesto libenti animo gratulamur, a Deo instanti prece exorantes, ut uberibus donis solaciisque supernis te benigne ditare velit. Caelestis interea praesidii in auspicium, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuisque laborum sociis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Aprilis, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

VIII

AD EXCMUM P. D. DEMETRIUM MOSCATO, ARCHIEPISCOPUM SALERNITANUM, OB SOLLEMNIA IN HONOREM S. MATTHAEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE, CUIUS SEPULCRUM SALERNITANI RELIGIOSE PER DECEM SAECULA VENERANTUR.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quod, officiosis ad Nos datis litteris, significabas, decem iam esse revoluta saecula, ex quo S. Matthaei Apostoli et Evangelistae sepulcrum, ut pie traditur, Salernitani apud se religiose adservant ac venerantur, id profecto eventum non modo est memoratu dignum, sed eiusmodi etiam ut popularem pietatem refoveat quam maxime, eamque in usum traducat christianae virtutis. Semper enim, per temporum decursum, istius urbis istiusque regionis cives mirabile illud templum, eiusdem sepulcri sedem, quod Decessor Noster s. m. Gregorius VII, ob inconcussam animi fortitudinem in tuendis Ecclesiae iuribus exsul, suis ipse manibus consecravit, sacrum veluti Palladium habuerunt; atque ad illud cum in laetis, tum in tristi-

bus turbulentisque rerum adiunctis supplicantes adierunt, vel ut debitas suo ipsorum caelesti Patrono ob impetrata beneficia grates agerent, vel ut mala, pericula, discrimina, quae ingruerent, valida apud Deum interposita eius prece, prohiberent.

Quodsi hoc semper evenit, peculiari modo contingat optamus per saecularis huius eventus celebrationes, in quibus quidem tot tantaeque memoriae gloriaeque vestrae ante oculos in sua luce ponentur. Laudabili igitur consilio statuisti, ut ex iisdem litteris comperimus, non paucos Salernum cogere coetus congressionesque, ac varia et salutifera incepta, hac occasione data, provehere. In quibus placet imprimis Plenarium istius regionis Concilium memorare; in quo, ut fore omnino confidimus, sacri qui intererunt Antistites, collatis inter se consiliis, pro sua prudentia pro suoque apostolatus ardore, ea decernent, quae suorum cuiusque gregum necessitates nostrorumque temporum condiciones postulant. Nec minus utilitatis expectamus cum ex peculiaribus coetibus in singulis paroeciis habendis, tam ex Congressu ea mente eaque de causa ex universa Italia celebrando, ut sedula Evangelii lectio, impensum eius studium, intentaque meditatio promoveantur, utque eius praecepta in vitae usum alacri actuosaque data opera deducantur. Usquedum enim divina Iesu Christi doctrina in singulorum animis, in domestico convictu in civilique societate sileat, neglegatur, vel — quod detrimentosius est — despiciatur atque impugnetur, nullo prorsus valido modo possunt homines revocari ad vitam, quae vera vita sit, nulla valida ac tuta ratione possunt ad virtutem, ad fraternam concordiam, et ad sinceram illam ac solidam pacem adduci quae christiana iustitia caritateque alatur oportet. Ad hoc igitur potissimum conferant hi coetus, quos celebraturi estis; atque hac in re gravissima vos adiuvet suis precibus suoque patrocinio S. Matthaeus Apostolus, qui primus, ut memoriae traditum est, Iesu Christi gesta, praecepta, doctrinam litteris mandavit.

Quoniam vero Marialis volvitur Annus, optimo consilio decrevisti, per ipsam Evangelii lectionem, explanationem meditationemque pietatem impensam erga Dei Genetricem nostramque Matrem suavissimam esse excitandam, adhibitis etiam hac in re peculiaribus illis rationibus, quae, ut Peregrinatio Mariae per singulas paroecias habenda, multum possunt hanc eandem alere ac nutrire pietatem.

Neque cetera incepta praetereunda sunt, de quibus in datis litteris scribebas, ut rerum Missionalium artisque sacrae expositiones, ac catholicorum medicorum Congressus; qui quidem Congressus cum in urbe ista agatur, quae iam fuit salutaris huius artis magistra celeberrima, idoneam apud vos habebit sedem.

Quod autem praecipuum esse debet, id Nos celebrationibus vestris optamus ac supplici a Deo poscimus prece; hoc est ut integerrima Evangelii doctrina, cuius S. Matthaeus adsertor invictus, Apostolus studiosissimus, ac martyr denique exstitit, mentes animosque informet, atque inde in ipsius humanae societatis venas pervadat, religiosarum ac civilium virtutum omnium altrix potentissima.

Qua quidem suavi spe freti, cum tibi, Venerabilis Frater, universoque gregi tuis curis concredito, tum iis omnibus — sacris Antistitibus, clero populoque — qui saecularibus celebrationibus vestris intererunt, Apostolicam Benedictionem, quae caelestium sit auspex munerum Nostraeque benevolentiae testis, libentissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die I mensis Maii anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

AD CHRISTIFIDELES, DIE PASCHATIS RESURRECTIONIS D. N. IESU CHRISTI, DEVOTA OMINA SUMMO PONTIFICI AC VENERATISSIMO PATRI IN FORO SANCTI PETRI PROCLAMANTES. *

Non altrimenti che i discepoli di Gesù esultarono, allorchè nel vespro della prima Pasqua videro il risorto Maestro tornare in mezzo a loro, vincitore della morte; così voi, diletti figli e figlie, aprite i vostri cuori alla letizia di questo solenne giorno ed accogliete fiduciosi il saluto di pace, che Noi, Vicario in terra del divino Redentore, in suo nome rinnoviamo alla Chiesa e alla umana famiglia. « Gavisi sunt discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis ».[1] I discepoli furono pieni di gioia vedendo il Signore. E Gesù disse loro di nuovo: Pace a voi!

Nel rendere umili grazie alla divina clemenza per averCi elargito l'inestimabile dono di celebrare insieme con voi questa sacra festività, non vorremmo mancare di manifestarvi la paterna Nostra gratitudine per il filiale affetto e le devote preghiere, con cui avete confortato l'animo Nostro nelle recenti afflizioni.

* Die 18 Aprilis mensis a. 1954.

[1] Io. 20, 20-21.

Oh quanto vorremmo che su tutti gli uomini si effondesse il gaudio della Pasqua cristiana, sicchè la Chiesa potesse cantare in pienezza di estensione: « In resurrectione tua, Christe, coeli et terra laetentur ».[2] Nella tua risurrezione, o Cristo, gioiscano i cieli e la terra! Ma se nei cieli tutto è pace e letizia, ben altra è la realtà sulla terra. Qui, in luogo della serena gioia, il cui segreto fu rivelato già da Cristo, aumenta di anno in anno l'ansia e quasi lo sgomento dei popoli nel timore di un terzo conflitto mondiale e di un tremendo domani, posto alla mercè di nuove armi distruggitrici, di inaudita violenza.

Armi — come avemmo già occasione di esprimere e di paventare fin dal febbraio del 1943 — atte a provocare « per l'intero nostro pianeta una pericolosa catastrofe »,[3] a portare il totale sterminio di ogni vita animale e vegetale e di tutte le opere umane su regioni sempre più vaste; armi capaci ormai, con isotopi artificiali radioattivi di lunga vita media, d'inquinare in modo duraturo l'atmosfera, il terreno, gli oceani stessi, anche assai lungi dalle zone direttamente colpite e contaminate dalle esplosioni nucleari. Così dinanzi agli occhi del mondo atterrito sta la previsione di distruzioni gigantesche, di estesi territori resi inabitabili e non utilizzabili per l'uomo, oltre alle conseguenze biologiche che possono prodursi, sia per mutazioni indotte in germi e microrganismi, sia per l'incerto esito che un prolungato stimolo radioattivo può avere sugli organismi maggiori, compreso l'uomo, e sulla loro discendenza. Al qual proposito non vorremmo omettere di accennare al pericolo che per le future generazioni potrebbe rappresentare l'intervento mutageno, ottenibile o forse già ottenuto con nuovi mezzi, per deviare dal naturale sviluppo il patrimonio dei fattori ereditari dell'uomo; anche perchè fra tali deviazioni probabilmente non mancano e non mancherebbero quelle mutazioni patogene, che sono la causa delle malattie trasmissibili e delle mostruosità.

Da parte Nostra, mentre non Ci stancheremo di adoperarCi, affinchè mediante intese internazionali — salvo sempre il principio della legittima difesa —[4] possa essere efficacemente proscritta e allontanata la guerra atomica, biologica e chimica;[5] chiediamo: Fino a quando gli uomini vorranno sottrarsi al salutare fulgore della Risurrezione, attendendo invece sicurezza dai bagliori micidiali dei nuovi ordigni di guerra? Fino a quando essi opporranno i loro disegni di odio e di morte

[2] *Brev. Rom. Dom. in Albis*, ad Laudes.
[3] *A. A. S.*, 1943, pag. 75.
[4] Cfr. tuttavia *A. A. S.*, 1953, pp. 748-749.
[5] *Ibid.*, p. 749.

ai precetti dell'amore e alle promesse di vita arrecate dal Salvatore divino? Quando si avvedranno i reggitori delle nazioni che la pace non può consistere in un esasperante e dispendioso rapporto di vicendevole terrore, ma nella massima cristiana della universale carità, ed in particolare nella giustizia volontariamente attuata, anzi che estorta, e nella fiducia piuttosto ispirata che pretesa? Quando avverrà che i sapienti del mondo volgeranno le mirabili scoperte delle forze profonde della materia esclusivamente a fini di pace, per dare all'attività umana energia a tenue costo, la quale allevierebbe la scarsità e correggerebbe la disuguale distribuzione geografica delle fonti di beni e di lavoro, come anche per offrire nuove armi alla medicina, all'agricoltura, e ai popoli nuove sorgenti di prosperità e di benessere?

Ma intanto, mentre l'angoscia sembra farsi più pungente, ecco che s'irradia nel mite chiarore della Pasqua, sbocciata quest'anno sotto il sole verginale di Maria, il dolce sorriso della Madre di Gesù e Madre nostra, gloriosa ella stessa al lato del suo Figlio. Così, particolarmente su coloro che vivono nella oscurità e nel dolore, questa Madre amantissima estende oggi il manto della sua ineffabile tenerezza.

O Maria, rifulgente in questo giorno di una più viva luce, sii Tu il simbolo e la generatrice della riconciliazione degli uomini fra di loro e col loro Signore e Redentore Gesù. Aumenta la fede di quei che T'invocano. Fa brillare ai loro occhi la speranza dei beni incorruttibili, quella redenzione dei corpi e delle anime, oggetto dei loro ardenti desideri, di cui contemplano quasi le primizie in Gesù ed in Te stessa. Aiutali a portare il peso dell'umile e spesso dura quotidiana fatica, e confortali con la fiducia della eterna e perfetta Pasqua della grande famiglia umana nella casa del Padre, fra gli splendori del cielo. Così sia!

ALLOCUTIONES

I

Iis qui interfuerunt Conventibus, Romae habitis, ex Radiologis Electrologisque latinae culturae, atque e Societate Itala Radiologiae Medicalis. *

Nous sommes heureux d'accueillir le groupe imposant que vous formez devant Nous, Messieurs, groupe imposant tant par le nombre que par la qualité de ses membres. Deux grands congrès, l'un national, l'autre

* Die 4 Aprilis mensis a. 1954.

international, vous réunissent cette année à Rome autour d'un programme scientifique particulièrement riche, à l'illustration duquel les plus hautes compétences ont brillamment contribué par de savantes conférences et par de nombreux et importants rapports.

La Radiologie se perfectionne de jour en jour et tient maintenant une telle place dans la médecine générale que celle-ci ne peut plus ignorer ses ressources ni se passer de ses services. Le temps n'est plus où elle demeurait pour beaucoup une spécialité aisément négligeable. Elle a désormais conquis droit de cité dans l'enseignement, car elle a souvent modifié et parfois même révolutionné les données traditionnelles. C'est ainsi que, grâce à l'examen radiologique du vivant, l'anatomie et la physiologie normales et pathologiques ont notablement progressé. Il est devenu possible de diagnostiquer plus tôt et plus sûrement des états congénitaux ou acquis, jusque là difficilement ou trop tardivement discernables; on a pu par le même moyen d'observation mettre en évidence les corrélations et répercussions des anomalies locales et, par le fait même adapter les traitements, hâter les interventions, apporter à toutes les branches de la médecine un précieux concours.

Le rôle de la Radiologie n'est pas seulement de recherche et d'information; il est aussi thérapeutique, et les applications en sont nombreuses et bienfaisantes, particulièrement dans les cas d'affections inflammatoires et dans le champ, si vaste, hélas, des tumeurs de tous genres.

Que de problèmes techniques résolus depuis 1895, date des premières découvertes de Roentgen, jusqu'aux merveilleux appareils radiologiques d'aujourd'hui! Là en effet où l'observation directe des phénomènes est impossible, les démarches de l'esprit humain doivent s'entourer d'une multitude de précautions; il faut procéder par hypothèse, inventer constamment quelque nouveau moyen de rendre sensible ce qui ne l'était pas, de mesurer des quantités ou des vitesses absolument en dehors du champ normal de nos sens. La simple question de la chaleur à éliminer dans les générateurs du rayonnement X présente de grandes difficultés techniques, et si l'on passe en revue toutes les conditions nécessaires pour obtenir une image radioscopique ou radiographique correcte, on est stupéfait de les voir réalisées dans un seul et même appareil, le tube à anticathode tournante, aujourd'hui universellement employé.

Lorsqu'on aborde la question proprement médicale des effets du rayonnement X sur la matière vivante, on se heurte encore à un grand nombre d'énigmes touchant la nature des perturbations produites dans les cellules par le mystérieux bombardement de particules infiniment pe-

tites douées de vitesses extrêmement grandes. La connaissance que les microscopes électroniques eux-mêmes donnent des éléments les plus ténus de la cellule ne renseigne pas sur les conséquences immédiates et lointaines des lésions subies par ces éléments, ni sur les possibilités de restauration des tissus sains endommagés par le traitement des tissus formés par des cellules prarasitaires. On sait toutefois que les cellules parasites et pathologiques sont beaucoup plus sensibles au rayonnement X que les cellules naturelles et toute la radiothérapie des tumeurs malignes est basée sur cette constatation. Ses indications et ses limites sont marquées par la connaissance des doses que peut supporter le tissu environnant. Il faut s'efforcer de faire parvenir sur la tumeur, à n'importe quelle profondeur, une dose d'irradiation suffisante pour la détruire complètement tout en épargnant les régions saines. Le grand problème est de déterminer en chaque cas particulier ce que l'organisme du patient peut supporter immédiatement; le temps manque souvent pour attendre les réactions lointaines; d'autre part il faut juguler le mal avant qu'il ne s'étende. On devine la somme de connaissances qu'il faut pour se servir des rayons X. Deux des thèmes de votre congrès y sont consacrés; d'autres étudient de nouvelles techniques radiographiques de la région rénale ou la physiothérapie sportive.

Mais les fruits d'un congrès sont loin d'être épuisés par l'énumération des leçons et communications officielles: les relations et entretiens personnels en constituent souvent l'attrait et le bienfait le plus sensible; des amitiés profondes basées sur l'estime réciproque amorcent ou entretiennent des collaborations précieuses. Qui ne soupçonne ce qu'il faut parfois, au chercheur et à l'expérimentateur, de patience et de dévouement à la science pour ne pas se contenter d'une certaine approximation, pour ne pas majorer les résultats obtenus, pour garder constamment et jusqu'au bout la parfaite probité scientifique, sans laquelle il ne saurait y avoir d'acquisition définitive! Un homme seul pourrait se lasser ou succomber à la tâche; s'il est stimulé par l'exemple et l'encouragement d'amis fidèles, il a plus de chances de mener à bien son laborieux effort.

La Radiologie a mis à la disposition des médecins un nouvel instrument, fruit d'une science neuve et hardie, qui ne fait peut-être encore qu'entrevoir la multitude de ses applications futures. Les plus beaux espoirs lui semblent permis, mais une telle perspective pourrait engendrer chez certains une réaction dommageable: l'excès de confiance, et son corollaire presque obligé, le découragement, lorsque survient l'insuccès. Toute technique appliquée au recouvrement ou au maintien de la

santé s'excerce nécessairement dans un champ d'action limité : elle peut guérir un mal, en ralentir un autre, mais ne supprimera jamais totalement la maladie, la souffrance et la mort. Quand le médecin médite cette vérité, il évite avec peine un sentiment d'amertume, surtout quand il a mis sa foi dans les ressources d'une technique nouvelle, susceptible d'une magnifique évolution. Il aurait tort toutefois de céder à cette impression, et de relâcher son effort. Car, en apportant à d'autres spécialistes une précieuse collaboration, en développant incessamment les possibilités propres à votre branche, vous réussirez peut-être, Messieurs, Nous le souhaitons ardemment, à triompher de maux réputés jusqu'ici incurables.

Mais il est encore un autre objectif, plus digne et plus enviable. N'admirez-vous pas la souveraine aisance, avec laquelle le Christ guérissait les malades qu'on lui apportait : un regard, un geste de la main, une parole de consolation, et le patient s'en allait, délivré de son infirmité, mais surtout purifié au plus intime de son âme et de sa conscience. Ne devez vous pas ambitionner vous aussi d'étendre votre action jusqu'au plan moral? Le sens d'une destinée humaine ne se limite pas à la jouissance ou au recouvrement d'une santé périssable : il s'élargit infiniment jusqu' aux réalités ineffables de l'au-delà. Comment accepter la maladie et la souffrance ; comment en tirer profit pour la purification de la vie affective et l'appréciation plus exacte des choses humaines, voilà des problèmes qui se posent à tout malade, et dont il cherche obscurément ou consciemment la solution. Si vous voulez aider à y répondre tous ceux qui auront recours à votre aide, vous n'aurez plus à craindre l'échec de vos efforts dans le domaine médical ni même l'incompréhension ou l'opposition de ceux qui prônent des méthodes différentes. Animés d'une charité profonde, vous poserez une action qui, outre son efficacité temporelle, acquiert une valeur d'éternité.

Le savant qui se consacre à des travaux tels que les vôtres ne sert pas une idole, mais, en s'efforçant de connaître les inépuisables ressources de la nature physique et de la nature vivante, il révèle chaque jour un peu plus les trésors déposés par le Créateur dans sa création. Il est comme un découvreur de terres nouvelles à la gloire de son Seigneur. Il est aussi dans la même mesure le bienfaiteur de ses frères les hommes, au service desquels il met immédiatement ou compte mettre le plus tôt possible le résultat de ses recherches. Votre part est belle, Messieurs, dans le travail pour l'humanité et Nous vous adressons bien volontiers les félicitations et les encouragements que vous pouvez attendre de Nous. Rien de ce qui touche à la science et au bonheur de l'humanité ne Nous

laisse indifférent, et Nous formons pour le succès de votre labeur les vœux les plus cordiaux et les plus sincères.

Que le Dieu tout-puissant, par la Bénédiction Apostolique reçue de Notre main, répande sur vous-mêmes ici présents, sur vos familles et sur tous ceux qui vous sont chers, l'abondance de ses grâces et ses faveurs les plus précieuses.

II

*Pueris ac puellis, scholarum inferioris gradus alumnis, ex Italia ob Conventum Marialem Romae coadunatis, Beatissimo Patri in Basilica Sancti Petri acclamantibus.**

Quando — pochi momenti fa — siamo passati in mezzo a voi, ascoltando le vostre grida entusiastiche, il vostro cinguettìo come di uccellini irrequieti e canori, osservando il vostro festoso agitar di mani e il luccicare dei vostri occhi limpidi e luminosi, l'animo Nostro è stato inondato di commossa letizia. Eravate così felici, così sorridenti! Avevamo quasi l'impressione di esser capitati in un giardino stupendo, ricco di fiori, di profumo, di armonia, di luce.

Grazie, cari fanciulli, per la gioia che Ci avete procurata con la vostra partecipazione, qui in Roma, alle celebrazioni dell'Anno Mariano. Siate — insieme coi vostri benemeriti e amati Maestri — i benvenuti in questo luogo, che poche volte può così dolcemente chiamarsi « Casa del Padre », come quando viene invasa dai più piccoli dei Nostri figli.

Nè dovete temere che il Papa s'infastidisca per questa vostra visita, o che altri abbia pensato a frapporre ostacoli di qualsiasi sorta. Tutti sanno che il Vicario di Gesù ama i fanciulli e li vuole accanto a Sè; e se fosse possibile, il Papa volentieri scenderebbe in mezzo a voi, per parlare con ciascuno, per porre la Sua mano benedicente sulla vostra fronte, con immensa affettuosa tenerezza.

Ma almeno vogliamo dirvi qualche semplice parola che voi — ne siamo certi — ascolterete come se in qualche modo uscisse dalle labbra di Gesù. Egli, infatti, vi parla per mezzo Nostro.

1. - Desideriamo anzitutto di manifestarvi l'ansia paterna che nasce nel Nostro cuore, quando vediamo riflessa nei vostri occhi l'innocenza, che incanta gli uomini, rapisce gli angeli e commuove il Cuore stesso di Dio. Chi sa, infatti, che cosa forse diverrà un giorno questa vostra

* Habita die 2 Maii mensis a. 1954.

facile e gioconda letizia? Potrebbe anche darsi — e l'anima Nostra si fa triste soltanto a pensarci — che il sole di questa vostra fanciullezza venga in avvenire offuscato da minacciose nubi.

Ricordate? Quando Gesù camminava per le vie della Giudea, i bambini correvano a fargli festa e le madri li presentavano a Lui, vincendo le opposizioni di coloro i quali temevano che dessero molestia a Gesù. Oggi, purtroppo, vi è grande pericolo che non sia più così; che alcuni fanciulli non siano più — come prima — i piccoli amici di Gesù.

Vi fu una volta un bambino bravo e buono, che formava la consolazione e la gioia dei suoi genitori. Un giorno venne da essi mandato per una piccola commissione fuori del paese, ed egli se ne andava camminando tranquillo verso la mèta per una strada di campagna. Guardava gli alberi in fiore, ascoltando il canto degli uccelli; tutto lo invitava alla pace, all'allegria. Di tanto in tanto si chinava a raccogliere fiorellini di campo, perchè voleva portarli in dono alla mamma, quando all'improvviso vide uscire dall'erba un serpente nascosto, e prima che potesse difendersi, si sentì morso, rimanendo ferito con tutti i sintomi dell'avvelenamento. Poche ore dopo, il bambino moriva tra le braccia della madre, che continuava a chiamarlo invano tra le lagrime.

2. Quanti poveri piccoli corrono oggi pericolo di essere intossicati da un serpente anche più insidioso, il serpente infernale! Chi potrebbe, allora, riconoscerli? Per essi piangerebbe la Santa Chiesa, nè sarebbe facile, in tal caso, confortarla e asciugarle le lagrime di madre dolorante e mesta. Questo velenoso serpente circola per il mondo, travestito in tante maniere, e adesso par che voglia aggredire specialmente i bambini, per strapparli a Gesù, per allontanarli dal sacerdote e dalla chiesa. Oggi vi è assai da temere che i fanciulli vengano assaliti, feriti e uccisi nell'anima.

Attenti, cari fanciulli. Mentre camminate per le vie o partecipate ai giuochi infantili; quando avete in mano certi giornali e anche certi libri; quando vi capita di assistere a spettacoli, che il progresso vi ha portati fin dentro le mura delle vostre case; fate attenzione! Spesso vi è il serpente nascosto, che vuol mordervi, che vuole strapparvi a Gesù. Non vi fermate a guardarlo: potrebbe ammaliarvi e allora sareste perduti. Appena vi accorgete di essere minacciati, gridate subito, correte dalla vostra mamma, e soprattutto rivolgetevi alla Madre celeste, a Maria, che possiede la forza di Dio ed è sempre vicina a voi. Invocate il vostro angelo custode, affinchè vi illumini e vi sorregga.

Per non cadere vittime del serpente per conservarvi buoni, dovete fare tutto quello che Gesù vi verrà insegnando per mezzo dei genitori,

dei maestri, dei sacerdoti. Imparate a conoscere il piccolo Gesù, amatelo e seguiteLo nel sentiero che Egli percorre e che vi viene mostrando. Egli cammina avanti a voi e vi ammonisce: « Questo non devi farlo, perchè è male! ». Altre volte: « Questo puoi farlo, anzi devi farlo, per assomiglarmi e per provarmi che mi ami ». Che gioia per il Papa sapere che vi sono molti fanciulli risoluti ad imitare il divino Gesù? Volete anche voi, cari figliuoli, essere buoni come Gesù?

— bravi come Gesù?

— obbedienti come Gesù?

Oh, non importa che siete piccoli o deboli; non importa che il male vi attiri o il demonio vi tenti: Gesù non vi lascerà mai soli, rimarrà al vostro fianco, vi sorreggerà, quando foste per cadere. E quando sarete stanchi, la Madonna sarà con voi e vi prenderà il braccio con tenerezza materna.

Dite; volete veramente bene alla Madonna? E allora dovete imparare a dirle un bel « sí », ogniqualvolta vi chiederà qualche cosa. Vi esorterà a pregare, vi suggerirà di essere studiosi; e voi le risponderete sempre con un bel « sì ». L'accontenterete in tutto, ed ella vi farà essere sulla terra come piccoli angeli, prediletti di Gesù. Ditele che spesso, anzi ogni giorno, se sarà possibile, vorrete nutrirvi di Lui. Ed ella vi aprirà i tabernacoli e quasi deporrà con le sue mani l'Ostia Santa nei vostri cuori. Sarete così tanti piccoli santi, che renderanno sempre più bella e splendente la corona che adorna la Chiesa.

3. - Ed ora, diletti figli, vogliamo benedirvi con tutto il Nostro cuore. Ma prima torniamo a raccomandarCi a voi. Voi siete gli amici di Gesù, e Noi abbiamo fiducia che Egli non negherà nulla alla vostra preghiera innocente. Oh quanto si commuove il Nostro cuore, ogniqualvolta meditiamo sul Vangelo gli incontri dei fanciulli con Lui! Quando Erode lo cercava per ucciderlo, i bambini di Betlemme gli salvarono la vita con la propria morte; quando bisognò sfamare le turbe con un miracolo, Gesù accettò da un fanciullo i pani d'orzo e i pesci per moltiplicarli e distribuirli a tutti;[1] e quando Gesù entrò trionfalmente in Gerusalemme e tutta la città si commosse, si può ben pensare che i fanciulli furono tra i primi ad andargli incontro festosamente coi rami di palme,[2] e lo acclamarono nel tempio al grido « Osanna al

[1] Cfr. Io., 6, 9-11.

[2] Io., 12, 21.

Figlio di David ».[3] Intanto i nemici del Redentore stavano fremendo di sdegno e tentavano di far tacere i discepoli e la folla.[4]

Anche oggi, cari fanciulli, si vuol combattere Gesù, perchè si vorrebbe distruggere la sua Chiesa. Certo — e voi ben lo sapete — le porte dell'inferno non potranno prevalere contro di essa, e i nemici di Dio saranno anche questa volta sconfitti. Ma la Chiesa ha bisogno di tanta forza per sostenere le lotte che da varie parti le si muovono contro. Per queste lotte, per trasformarle in altrettante vittorie, il Papa conta anche su di voi e su tutti i fanciulli d'Italia; conta specialmente sulla vostra preghiera e sui vostri piccoli sacrifici.

Chiedete dunque a Gesù che protegga la Chiesa, che spezzi l'impeto dei suoi nemici, che salvi tutti gli uomini, specialmente i più bisognosi della sua misericordia. Fate dolce violenza al suo Cuore divino e affrettate l'avvento di giorni migliori con più serene aurore e più fulgidi tramonti.

E possiate esser voi — come all'ingresso di Gerusalemme — tra i promotori di un nuovo trionfo per il grande Amico dei fanciulli: per Cristo Gesù, Salvatore del mondo.

ORATIO

AD B. MARIAM VIRGINEM PER ANNUM MARIALEM A PUERIS RECITANDA

Caro Gesù, anche Tu fosti un giorno bambino come noi, e ci hanno detto che amavi di avere i piccoli vicino a Te. Così noi veniamo ora, fanciulli di tutte le nazioni del mondo, ad offrirti i nostri ringraziamenti e ad elevare a Te la nostra preghiera per la pace.

Tu brami di essere con noi in ogni ora e in ogni luogo; fa dunque dei nostri cuori la Tua dimora, il Tuo altare e il Tuo trono. Fa che tutti formiamo una sola famiglia, unita sotto la Tua custodia e nel Tuo amore. Tieni lontano da ogni uomo, giovane o adulto, i pensieri e le opere dell'egoismo, che separano i figli del Padre celeste gli uni dagli altri e da Te. Sia a tutti la Tua grazia scudo contro i nemici del Padre Tuo e Tuoi; perdona loro, o Signore; essi non sanno quello che fanno. Se gli uomini col Tuo aiuto si amerano l'un l'altro, vi sarà vera pace nel mondo, e noi bambini potremo vivere senza il timore degli orrori di una nuova guerra.

[3] Cfr. MATTH., 21, 15.

[4] Ibid., 16.

Noi chiediamo alla Tua immacolata Madre Maria, che è anche Madre nostra, di offrire a Te questa nostra preghiera di pace. Tu allora certamente la esaudirai.

Grazie, o dolce Gesù!

Così sia!

Maggio 1954.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 16 Decembris 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Niko Kazantzakis — *Ὁ τελευταῖος πειρασμός* — *Die Letzte Versuchung*, Roman, Berlin-Grunewald, F. A. Herbig Verlagsbuchhandlung (Walter Kahnert).

Et feria VI, die 1 Ianuarii 1954, Ssmus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia Emo Card. Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 12 Ianuarii 1954.

Marius Crovini, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

VENETIARUM ET TARVISINAE

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIUM

Emus ac Revmus P. D. Angelus Iosephus S. R. E. Presbyter Cardinalis Roncalli, Patriarcha Venetiarum, et Excmus P. D. Antonius Mantiero, Episcopus Tarvisinus, quo aptius animarum bono sibi creditarum consulerent, ab Apostolica Sede nuper expostulaverunt ut utriusque dioecesis fines ad locum « Caposile » et ad locum « Cittanova » aliquatenus immutarentur; ad locum vero « Sabbioni » in pago « Palazzetto », oppidi « S. Donà di Piave », et ad locum, oppidi « Iesolo », qui in arvorum formam est nuper redactus, certi constituerentur earumdem dioecesium limites.

Sacra igitur Consistorialis Congregatio, porrectis precibus benigne annuens, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Pp. XII tributarum, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernere dignata est ut territorium ad locum « Caposile », Patriarchatui Venetiarum subiectum hisque limitibus circumscriptum: ad septemtrionem « Canale Principale I », ad orientem « Stradone tra la proprietà Gradenigo e Ianna dal Canale Principale I fino al fiume Sile in località Ca' Càmillo », ad meridiem « Fiume Sile », ad occasum « Canale Francescata — dal Fiume Sile al canale Principale I », ab ipso Patriarchatu Venetiarum separetur et Tarvisinae dioecesi aggregetur; territorium vero ad locum « Cittanova », quod ad dioecesim Tarvisinam pertinet et his limitibus circumscribitur: ad septemtrionem « Canale Brian — dall'idrovora di Cittanova alla chiavica presso C. Nogara », ad orientem « Canale Ramo — dall'idrovora di Cittanova alla confluenza con lo scolo Berno », ad meridiem « Scolo Berno — dalla confluenza con il canale Roma fino alla canaletta di scolo Berengan », ad occasum « Canaletta di scolo Berengan tra il canale Brian e lo scolo Berno » a dioecesi Tarvisina distrahatur et Patriarchatui Venetiarum, cum omnibus

bonis, iuribus et oneribus eidem territorio pertinentibus, adiungatur; mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus.

Sacra insuper Consistorialis Congregatio decernit ut territorium, vulgo « Sabbioni » nuncupatum et ad locum « Palazzetto » in oppido « S. Donà di Piave » situm, perpetuo dioecesi Tarvisinae tribuatur eidemque dioecesi assignetur quoque territorium oppidi « Iesolo » quod est in arvorum formam cultumque redactum et his limitibus circumscriptum: « Via Francescata — Canale Principale S. Giovanni — Canale Rosa e Canale Caposile », demptis in posterum quibuslibet Venetiarum patriarchatus in praefatis territoriis iuribus.

Ad haec autem perficienda Sacra Congregatio Consistorialis deputat Emum ac Revmum P. D. Angelum Iosephum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Roncalli, Patriarcham Venetiarum, Eidem tribuens necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi quam primum ad eamdem Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 29 Ianuarii 1954.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

II

DE AGUAS CALIENTES - ZACATECENSIS

DECRETUM

DE DIOECESIUM LIMITIBUS

Cum de limitibus dioecesium de Aguas Calientes et Zacatecensis exorta fuissent dubia, Excmi PP. DD. Franciscus Xaverius Nuño, Episcopus Zacatecensis, et Salvator Quezada, Episcopus de Aguas Calientes, enixe postulaverunt ut Apostolica Sedes ea dignaretur dirimere.

Sacra Congregatio Consistorialis, de consilio Excmi P. D. Gulielmi Piani, Archiepiscopi titularis Nicosiensis et in Republica Mexicana Delegati Apostolici, re mature perpensa et maiori animarum bono prospiciens, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio

Divina Providentia, Pp. XII tributarum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, consensu, praesenti Decreto perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut posthac communes limites dioecesium quas supra memoravimus, in finibus paroeciarum vulgo Asientos, Villa García, S. Francisco, los Adames, N.tra Señora de los Angeles et Pinos nuncupatarum, sint : ab indice delimitationis vulgo Tortugas, in parte septentrionali provinciae civilis de Aguas Calientes, tanquam initium constituto, « parte una línea recta con una distancia de 6.400 Mts. y una dirección NE (17° 55') llegando a un lugar conocido por el Cerro de la Leona, de aquí sigue la dirección del lienzo la Cascarona dirección NE. (12° 00) con una distancia de 2,350 Mts., al llegar a este punto, el límite tuerce con dirección a un lugar llamado Pozo Colorado SE. (80° 55') distancia de 4.600 Mts. ; de este Pozo Colorado y con dirección S. E. (79° 35') parte en línea recta hasta terminar en un cerro llamado la Manga de los Chivos a una distancia de 19.000 Mts. Esta línea de Pozo Colorado a la Manga de los Chivos pasa por la punta Norte de la Mesa del Gallinero, dejando los poblados de Gallinero y Genaro dentro de la Parroquia de Asientos. De este punto (Manga de los Chivos) tuerce de nuevo el límite con dirección al SE. (1° 45'), con una distancia de 5.500 Mts. llegando a unos 250 Mts. al sur de la Congregación de Carboneras, continuando al SE. (11° 00') a una distancia de 8.000 Mts. se pasa desde aquí a deslindar las Parroquias de Villa García, Ags. y Pinos Zac. : De este punto situado al Este de Canoas prosigue con dirección SE. (7° 20'), distancia 5.000 Mts. para llegar al Cerro del Picacho. De la cumbre del Picacho se prosigue con dirección SE. (24° 30'), distancia 20.400 Mts. pasando al este del poblado de Letras y llegando hasta el límite de los Estados de Zacatecas y Jalisco. De aquí se sigue hacia el Este por la misma línea divisoria de dichos Estados hasta llegar a la Palma, donde a fin de que todo este poblado quede dentro del Obispado de Zacatecas se señalará como límite de diócesis una línea circular en derredor de la capilla, de un kilómetro de radio ».

Statuit insuper ut statim ac huius Decreti exsecutio ad effectum deducta fuerit, clerici dioecesi illi censeantur inscripti cui territorium, in quo legitime degunt, unietur.

Mandat tandem ut documenta et acta clericos, fideles et bona temporalia memoratarum paroeciarum respicientia, a Curia dioecesis in qua

inveniuntur ad Curiam dioecesis cuius iurisdictioni erunt obnoxiae, transmittantur.

Ad haec omnia perficienda eadem S. C. Consistorialis quem supra memoravimus in Mexicana Republica Delegatum Apostolicum deputat eique necessarias et opportunas facultates tribuit, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito cum primum fas erit transmittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 17 Februarii 1954.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

III

IBAGUENSIS - MANIZALENSIS

DECRETUM

DE DIOECESIUM LIMITIBUS

Ad satius consulendum spirituali bono Christifidelium in paroeciis vulgo La Dorada, Marquetalia, Manzanares, Marulanda et Victoria, degentium, Apostolicae Sedi peropportunum visum est eas a territorio dioecesis Ibaguensis distrahere et dioecesi Manizalensi adnectere.

Quapropter Ssmus Dominus Noster Pius Divina Provindentia Pp. XII, de consilio Exc. P. D. Pauli Bertoli, Archiepiscopi titularis Nicomediensis et in Columbia Nuntii Apostolici, praehabito favorabili voto Exc. P. D. Arthuri Duque Villegas, Episcopi titularis Vatarbensis et dioecesis Ibaguensis Administratoris Apostolici sede plena, suppleto, quatenus opus sit, eorum quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis praesenti Consistoriali Decreto quas supra memoravimus paroecias simul cum eorum oratoriis, domibus, piis fundationibus aliisque ecclesiasticis bonis, mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus, a territorio dioecesis Ibaguensis separat easque dioecesi Manizalensi perpetuo adscribit.

Mandat igitur Sanctitas Sua ut documenta et acta harum paroeciarum clericos fideles et bona temporalia respicientia, a Curia Ibaguensi ad Curiam Manizalensem transmittantur, atque indulget ut uter-

que Episcopus, Manizalensis scilicet et Administrator Apostolicus dioecesis Ibaguensis, initis consiliis, de incardinatione cleri earumdem paroeciarum inter se conveniant.

Ad haec perficienda Ssmus Dominus Noster memoratum in Columbia Nuntium Apostolicum deputare dignatus est, tribuens necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad S. C. Consistorialem quam primum remittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 17 Februarii anni 1954.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

IV

IERICOËNSIS - QUIBDUANI

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIS ET VICARIATUS APOSTOLICI

Apostolica Sedes, in animarum salutem apprime intendens, territorialem dioecesium distributionem ita, pro adiunctis, solet definire ut spirituali christifidelium emolumento satius possit consuli.

Cum vero Excmus P. D. Petrus Grau, Episcopus titularis Pellensis et Vicarius Apostolicus Quibduanus, supplices porrexisset preces ut fines dioecesis Iericoënsis et Vicariatus Apostolici Quibduani nonnihil immutarentur, Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, de consilio Eminentissimi ac Reverendissimi P. D. Petri S. R. E. Cardinalis Fumasoni Biondi, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecti, attento favorabili voto Excmi P. D. Pauli Bertoli, Archiepiscopi tit. Nicomediensis et in Columbiana Republica Nuntii Apostolici auditoque Excmo P. D. Antonio Iosepho Jaramillo Tabón, Episcopo Iericoënsi, porrectis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, interesse habentium vel praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto statuit ut paroecia

vulgo Carmen de Atrato, una cum suis ecclesiis, domibus, bonis temporalibus quibuslibet, atque piis fundationibus, e territorio Iericoënsi distrahatur, et Vicariatui Apostolico Quibduano adnectatur, utrimque mutatis hac ratione finibus.

Quod vero ad clerum praefatae paroeciae addictum spectare potest, indulget Sanctitas Sua ut Episcopus Iericoënsis et Vicarius Apostolicus Quibduanus collatis consiliis ipsi decernant.

Propterea omnia acta et documenta, paroeciae Carmen de Atrato fideles et bona temporalia respicientia, a Curia Iericoënsi ad Curiam Vicariatus Apostolici Quibduani quam primum transmittantur.

Ad haec omnia perficienda Ssmus Dominus Noster memoratum in Columbia Nuntium Apostolicum deputare dignatus est, necessarias et opportunas facultates ei tribuens etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die VIII Aprilis anno Mariali MCMLIV.

✠ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

V

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 19 Decembris 1953 — Titulari episcopali Ecclesiae Abilenae in Palaestina praefecit R. D. Albertum Uribe Urdaneta, ex archidioecesi Bogotensi, directorem Scholae Apostolicae in urbe Bogotà, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Aloisii Concha, Episcopi Manizalensis.

die 5 Ianuarii 1954 — Metropolitanae Ecclesiae Adamantinae Exc. P. D. Iosephum Newton de Almeida Batista, hactenus Episcopum Uruguaianensem.

die 19 Ianuarii — Titulari episcopali Ecclesiae Pionitanae Rev. D.

Armandum Gutiérrez Granier, archidioecesis Pacensis in Bolivia, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Augustini Arce, Episcopi S. Crucis de Sierra.

die 7 Februarii — Titulari episcopali Ecclesiae Nisyriensi Exc. P. D. Carolum M. Jurgens Byrne, hactenus Episcopum Huancavelicensem.

die 16 Februarii — *Coadiutorem* cum iure successionis Exc. P. D. Eugenii Giambro, Episcopi Neocastrensis, Exc. P. D. Vincentium M. Jacono, Episcopum titularem Lambaesitanum.

die 8 Martii — Titulari episcopali Ecclesiae Vartanensi Revmum D. Franciscum Fasola, praepositum Congregationis Oblatorum Ss. Gaudentii et Caroli in civitate Novariensi, quem constituit Coadiutorem, etiam sedi datum, Exc. P. D. Ioannis Baptistae Peruzzo, Archiepiscopi Episcopi Agrigentini.

die 18 Martii — Cathedrali Ecclesiae Bolivarensi Revmum D. Leonidam E. Proaño, canonicum poenitentiarium Capituli Cathedralis Ibarrensis.

die 25 Martii — Titulari episcopali Ecclesiae Uticensi R. P. D. Iosephum Garneri, Antistitem Urbanum, Archidiaconum et vicarium paroecialem Capituli Metropolitani Taurinensis.

die 27 Martii — Cathedrali Ecclesiae Constantinianae Exc. P. D. Paulum Petrum Pinier, hactenus Episcopum titularem Prusiensem.

die 31 Martii — Cathedrali Ecclesiae Oriolensi Revmum D. Paulum Barrachina Estevan, canonicum doctoralem Capituli Cathedralis Segobricensis.

die 5 Aprilis — Titulari episcopali Ecclesiae Amisenae R. D. Iosephum a Iesu Alba Palacios rectorem seminarii et canonicum lectoralem Capituli Cathedralis Leonensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Gerardi Anaya et Diez de Bonilla, Episcopi Sancti Ludovici Potosiensis.

die 6 Aprilis — Titulari episcopali Ecclesiae Hadrianopolitanae in Honoriade R. P. D. Iosephum M. Pernicone, Antistitem Urbanum et parochum B. M. V. de Monte Carmelo, ex archidioecesi Neo-Eboracensi, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Francisci S. R. E. Card. Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

die 8 Aprilis — Cathedrali Ecclesiae Fesulanae Exc. P. D. Antonium Bagnoli, hactenus Episcopum Volaterranum.

die 21 Aprilis — Cathedrali Ecclesiae Peterboroughensi Exc. P. D. Beniaminum I. Webster, hactenus Episcopum titularem Paphiensem.

die 24 Aprilis — Cathedrali Ecclesiae Pistoriensi R. P. D. Marium Longo Dorni, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium,

Vicarium Generalem dioecesis Novariensis et eiusdem Capituli Cathedralis canonicum theologum.

die 9 Maii — Titulari episcopali Ecclesiae Ioanninensi Exc. P. D. Clementem Bonefačić, hactenus Episcopum Spalatensem et Macarscensem.

die 11 Maii — Metropolitanae Ecclesiae Birminghamiensi Exc. P. D. Franciscum Iosephum Grimshaw, hactenus Episcopum Plymuthensem.

die 14 Maii — Cathedrali Ecclesiae Gallipolitanae Exc. P. D. Blasium D'Agostino, hactenus Episcopum titularem Citiensem.

VI

NOMINATIO

Decreto dato die 16 Aprilis mensis anno 1954, Sacra Congregatio Consistorialis nominavit Ecxmum P. D. Davidem Mathew, Archiepiscopum titularem Apamenum in Bitynia, *Vicarium Castrensem Magnae Britanniae.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA

CANONIZATIONIS BEATI PII PAPAE DECIMI, CONFESSORIS

SUPER DUBIO

An, stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Beati Canonizationem.*

In Beato Pio Decimo, Episcopo et Venetiarum Patriarcha, augurium, quod Ecclesia in episcopali consecratione offert, dicens: « Sit sollicitudine impiger, sit spiritu fervens, oderit superbiam, humilitatem et veritatem diligat neque eum unquam deserat, aut laudibus aut timore superatus», impletum iam erat; verum in eo ad apicem Summi Pontificatus evecto non tantum has, verum omnes virtutes eximie exercitas ampliori ratione omnibus datum est admirari.

Antiquius nihil habens, quam ut in Christo recapitularet restauraretque omnia, hoc quoque Pauli monitum alte in mente et corde defixum tenuit, nimirum: « *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* » (I. Tim. 6, 20). Hinc, ut fidei inerrans Magister, Modernistarum, quos dicunt, errores acerrime est insectatus ac necessario rigore repressit; ne autem hi iterum pullularent atque catholica fides illimis tuto servaretur, Angelici Doctoris doctrinam omnino sequendam inculcavit atque Philosophiae ac Theologiae magistris admonuit: « Si ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore » (cfr. apud *A. A. S.* 1914, p. 338).

Merito itaque ab Ecclesia humano de virtutibus, divino de miraculis testimonio innixa, tantus Pontifex ad beatificationis honores die 3 Iunii 1951 est elevatus. Accedentibus postea duobus novis a Deo, eodem Beato intercedente, miraculis, hisque die 17 Ianuarii anni huius approbatis, ut ad acta Consistorialia procedi possit, sacri canones Sacram hanc Rituum Congregationem dubium disceptare iubent: *An, stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem,* tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Beati Canonizationem.*

Quod quidem factum est atque Summo Pontifici relatum. Beatissimus Pater Pius Papa XII, caelesti lumine aliquot dies implorato, divino Sacrificio pientissime oblato, unanime Rm̃orum Cardinalium totiusque Sacrae Congregationis affirmativum votum ratum faciens, edixit: *tuto* ad sollemnem Canonizationem Beati Pii Papae Decimi posse procedi.

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis, Anno Mariali 1954.

✠ C. Card. CICOGNANI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

II

OCEANIAE

CANONIZATIONIS BEATI PETRI ALOISII CHANEL, SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS MARIAE, PROTOMARTYRIS OCEANIAE.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Beati Canonizationem.*

Acerrimus humani generis hostis invidiae livore actus contra homines, quos Deus ab eius servitute redemit et ad dignitatem filiorum suorum per adoptionem elevavit suique aeterni regni, si fideles in morte inveniantur, participes effecit, omne genus opera enititur ut ii e tanta dignitate per peccatum decidant, in eodem ad mortem usque permaneant fiantque suae damnationis suarumque poenarum consortes. Quapropter omnes Dei ministros, qui animorum spirituali curae sedulo incumbunt, praecipue vero missionales, qui inter ethnicos, haereticos schismaticosque saeculare daemonis dominium destruere moliuntur, insectari non desinit. Innumeri porro sunt, qui ab aevo apostolico ad nostros usque dies crudeliter usque ad mortem vexati, sanguine quoque effuso, christianae fidei testimonium, martyres effecti, dederunt et modo dant.

Quos inter praecipuo venit honore Beatus Petrus Aloisius Chanel, Societatis Mariae alumnus, Oceaniae Protomartyr.

Hic apostolico motus zelo cum nonnullis eiusdem Societatis sodalibus ad insulam Futuna in Oceaniae Polynesia anno 1837 appulit, ubi post efficax quidem ministerium, sed doloribus, angustiis, fame, insectatione refertum, die 28 Aprilis mensis anno 1841 teterrima morte multatus, glorioso est coronatus martyrio. Quo ad iuris normam probato Leo Papa XIII, die 17 Novembris anno 1889, eum inter Christi martyres ascripsit.

Resumpta causa, de duobus assertis miraculis actum est, quae die 17 Ianuarii anni huius sunt approbata.

Ut autem iuridice Summo Pontifici constet ab hac Sacra Congregatione omnia, quae a sacris canonibus praescribuntur fuisse peracta, adeo ut tuto pede ad acta, quae sollemnem canonizationem praecedunt, possit procedi, sapienter est constitutum ut Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores, integrae causae cursu perpenso, tuto aut

non procedi posse significent. Unanime porro affirmativum suffragium hi omnes ediderunt.

Beatissimus vero Pater Suam aperire mentem aliquantisper distulit, ut a Deo maius lumen imploraret. Quo sancte peracto, litato quoque Eucharistico sacrificio, Sacrorum Rituum sententiam ratam habens edixit *tuto procedi posse ad sollemnem Beati Petri Aloisii Chanel canonizationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis, Anno Mariali 1954.

✠ C. Card. CICOGNANI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

III

BRIXIEN.

CANONIZATIONIS BEATAE MARIAE CRUCIFIXAE DI ROSA, VIRGINIS, FUNDATRICIS INSTITUTI ANCILLARUM A CARITATE.

SUPER DUBIO

An, stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beatae venerationem, tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Sancta Teresia a Iesu sapienter hanc protulit sententiam, filiabus suis spiritualibus scribens: « Pro certo sciatis quo maius in proximorum dilectionem vos profecisse animadvertetis, eo magis in Dei amore vos progressas esse certae sitis » (Morad. V. c. 3, n. 8).

Hoc plenissime contigit in Beata Maria Crucifixa di Rosa. A puellari enim aetate eius cor per totam vitam proximorum amore aestuavit, pro eorum animi corporisque salute se suasque divitias, nihil sibi reservans, generose impendit; et ut salutaria opera, quibus manus apposuerat, perennia fierent, Ancillarum Caritatis Institutum condidit, quod beatae Matris premens vestigia, laetissimos atque uberrimos affert fructus.

Grandis ergo fuit in ea divinus amor, qui heroicum attigisse gradum divino quoque miraculorum testimonio probatur. Quapropter anno 1940 a feliciter regnante Pio Papa XII beatis Virginibus Maria Crucifixa fuit adiuncta.

Resumpta die 7 Ianuarii anno 1951 canonizationis causa perfectisque inquisitionibus super duobus miraculis a Deo, post beatificationem, ea intercedente, patratis iisque, per decretum, die 17 Ianuarii anni huius latum, approbatis, priusquam ad Consistorialia acta progressio fiat, praescribit ius integram Sacram Rituum Congregationem iudicium ferre, Summo Pontifici pandendum de servatis a S. Congregatione in causa servandis, adeo ut *tuto* possit ulterius procedi.

Beatissimus Pater unanime totius S. Rituum Congregationis affirmativum votum excepit quidem, sed, de more, Suum iudicium patefacere distulit, ut interim effusis precibus Sua mens a Deo illuminaretur. Hodierno autem die, divina Hostia oblata, edixit: *tuto procedi posse ad Beatae Mariae Crucifixae di Rosa canonizationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Aprilis, Anno Mariali 1954.

✠ C. Card. CICOGNANI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

VERSALIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (LAVARDET-LEBŒUF)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dominae Simonae Lebœuf, in causa conventae, eandem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 23 Iulii anni 1954, hora undecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de matrimonii nullitate, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Dominae Simonae Lebœuf curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.*

Dinus Staffa, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 27 Aprilis 1954.

E. Fiore, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Simone Lebœuf, defenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 23 juillet 1954, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Simone Lebœuf, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

CLEVELANDEN.

NULLITATIS MATRIMONII (LA ROCCA-CARNEY)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dominae Ruth Carney Sosna, in causa conventae, eandem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 2 Augusti 1954, hora meridiana, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de matrimonii nullitate, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Dominae Ruth Carney Sosna curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.*

Emmanuel Bonet, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 6 Maii 1954.

E. Fiore, *Notarius*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Ruth Carney Sosna, defenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 2 août 1954, à midi, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Ruth Carney Sosna, devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 16 marzo 1954, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione del beato Domenico Savio, giovane dell'Oratorio Salesiano di S. Giovanni Bosco.

Gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno inoltre esaminato le relazioni sugli scritti del Servo di Dio Cesare Maria Barzaghi, sacerdote professo dei Chierici Regolari di San Paolo, Barnabiti.

Martedì, 23 marzo 1954, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione del Beato Giuseppe Pignatelli, Confessore, sacerdote professo della Compagnia di Gesù.

Inoltre gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno, in Congregazione *ordinaria,* discusso sulla riassunzione della Causa di canonizzazione della Beata Maddalena di Canossa, Vergine, fondatrice dell'Istituto delle Figlie della Carità.

Martedì, 30 marzo 1954, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Rev.mi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione del Beato Gaspare Del Bufalo, Confessore, fondatore dei Missionari del Preziosissimo Sangue e delle Suore Adoratrici del Preziosissimo Sangue.

Gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno inoltre discusso, in Congregazione *ordinaria,* sulla relazione dei Revisori teologi degli scritti dei Servi di Dio:

1. Riccardo Pampuri, dell'Ordine dei Frati ospedalieri di San Giovanni di Dio « Fatebenefratelli ».

2. Margherita Maria Lopez de Maturana, fondatrice dell'Istituto delle Missionarie della Madonna della Mercede di Berriz.

Martedì, 27 aprile 1954, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione

del Ven. Servo di Dio Giovanni Martino Moye, sacerdote della Società delle Missioni Estere di Parigi, fondatore della Congregazione delle Suore della Provvidenza.

In Congregazione *ordinaria* inoltre gli stessi Emi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno esaminato la relazione sugli scritti dei Servi di Dio Giorgio Maria Martinelli, sacerdote, fondatore del Collegio degli Oblati Missionari di Rho, ed Elisabetta De Luppe', della Congregazione di Maria Ausiliatrice.

Martedì, 4 maggio 1954, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre si è adunata la S. Congregazione dei Riti Generale, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno dato il loro voto sui miracoli che si asseriscono operati ad intercessione dei Beati:

1. Gaspare Del Bufalo, Confessore, fondatore dei Missionari del Preziosissimo Sangue.
2. Giuseppe Maria Pignatelli, Confessore, della Compagnia di Gesù.
3. Domenico Savio, Confessore, giovane laico dell'Oratorio Salesiano di San Giovanni Bosco.

CANCELLERIA APOSTOLICA

NOMINA

Con Bolla Apostolica in data 22 maggio 1954, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante si è degnato di nominare l'Emo e Revmo Signor Cardinale Costantini Celso, *Concelliere di Santa Romana Chiesa.*

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

5 aprile 1954. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore delle Terziarie Clarisse della Ssma Annunziata di Diano Marina* (Albenga).

8 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Mimmi Marcello, *Protettore delle Suore « Povere Figlie di S. Antonio »* (Napoli).

9 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Copello Giacomo Luigi, *Protettore delle Suore di Nostra Signora del Rosario* (Buenos Aires).

6 maggio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Ottaviani Alfredo, *Protettore delle Suore Serve di Maria Riparatrice* (Roma).

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

11 maggio 1954. S. Eñza Revña il Signor Cardinale Cicognani Gaetano, *Membro della Sacra Congregazione Concistoriale.*

18 » » Il Revño Don Turowski Adalberto, della Società dell'Apostolato Cattolico, *Consultore della Sacra Congregazione della Disciplina dei Sacramenti.*

24 » » S. E. Revña Monsig. Mathew David, Arcivescovo tit. di Apamea di Bitinia, *Consultore della Sacra Congregazione de Propaganda Fide.*

UFFICIO DI S. E. R. IL MAESTRO DI CAMERA DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Revña Mons. Pro-Maestro di Camera, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

3 febbraio 1954. Il Revño Monsig. Aluffi Pentini Giuseppe, *Cappellano Segreto di Sua Santità.*

5 aprile » Il signor Bonatti Antonio, *Bussolante Pontificio soprannumerario.*

NECROLOGIO

24 marzo 1954. Monsig. Hoowaarts Francesco, Vescovo di Tsaochow.

5 aprile » Monsig. Echavarria Gesù Maria, Vescovo di Saltillo.

18 » » Monsig. Sinnot Alfredo Arturo, Arcivescovo tit. di Sebastea.

28 » » Monsig. Rauch Vendelino, Arcivescovo di Friburgo in Brisgovia.

6 maggio » Monsig. Rizq Cirillo, Arcivescovo tit. di Cesarea di Palestina dei Melchiti.

9 » » Monsig. O'Shea Tommaso, Arcivescovo di Wellington.

10 » » Monsig. Rodić Giovanni Raffaele, Arcivescovo tit. di Filippopoli di Tracia.

12 » » Monsig. Hafey Guglielmo Giuseppe, Vescovo di Scranton.

13 » » Monsig. Solari Tommaso Giovanni Carlo, Arcivescovo di La Plata.

19 » » Monsig. van der Velden Giovanni Giuseppe, Vescovo di Aquisgrana.

22 » » Monsig. Giorgis Giovánni, Vescovo di Susa.

An. et vol. XXXXVI 3 Iunii 1954 (Ser. II, v. XXI) – N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

KISUMUENSIS
(ELDORETENSIS)

KISUMUENSIS DIOECESIS DIVISO TERRITORIO, NOVA PRAEFECTURA APOSTOLICA « ELDORETENSIS » CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae ad christifidelium utilitatem procurandam eorundemque regimen facilius reddendum conducere videantur, ea Nos, pro omnium Ecclesiarum, qua urgemur, sollicitudine, sedulo praestare studemus. Novas proinde Apostolicas Praefecturas erigere curamus, ex iis dioecesibus distrahendo territorium quae vel finium amplitudine vel fidelium numero redundare censeantur. Quae cum ita sint, cum venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositis peropportunum visum sit, tum christianorum hominum regimini aptius consulendi tum fidei catholicae latius disseminandae causa, Kisumuensis dioecesis territorium bipartiri atque ex distracto territorio novam Praefecturam Apostolicam condere, Nos, precibus admissis venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni in Bithynia, atque in Africa Orientali et Occidentali Britannica Apostolici Delegati, auditoque venerabili Fratre

Friderico Hall, Kisumuensi Episcopo; re attento animo considerata certaque scientia eorum quae sumus acturi; eorum denique consensum supplentes quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant, atque id quod Sacro Consilio Fidei Propagandae placuerit ratum habentes; de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ea quae sequuntur statuimus. A dioecesi Kisumuensi, in Africa Orientali, metropolitanae Sedi Nairobiensi suffraganea, civiles districtus quibus nomina vulgo Turkana, West Suk, Uasin Gishu, Trans Nzoia, Nakuru, Baringo, Elgeyo et Mara Kwet, parte tamen quae vulgo Nandi nuncupatur excepta, distrahimus ex iisque novam constituimus Praefecturam Apostolicam ab urbe principe Eldoretensem appellandam atque curis Patrum Societatis a S. Patritio pro Missionibus Exteris de Hibernia, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, concredendam. Cui modo erectae Praefecturae Apostolicae sive iura et privilegia tribuimus sive onera et obligationes iniungimus, quae Praefecturarum Apostolicarum propria sunt; item ad eius pro tempore Praesules hinc iura, honores et potestates spectabunt, hinc onera et obligationes quae cum Praefectorum Apostolicorum officio iure communi coniunguntur. Quae autem per has Litteras a Nobis statuta sunt Apostolicus Delegatus in Africa Orientali et Occidentali Britannica exsequenda curabit vel ille qui eo tempore quo haec decreta ad rem adducentur illi Apostolicae Delegationi praeerit. Ei vero qui negotium hoc perficiet opportunas tribuimus potestates quae poterunt alii quoque viro subdelegari, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Cui tamen oneri erit actarum rerum documenta exarare eorumque fide digna exempla ad S. Congregationem Fidei Propagandae quam primum mittere.

Praesentes vero Litteras firmas, validas et efficaces nunc et in posterum esse, suamque vim et effectum habere volumus; ac praecepta quae iisdem describuntur ab omnibus quorum interest fideliter servari decernimus. Quod siquid adversus ea quae hisce Litteris statuimus a quolibet, quavis auctoritate, vel sciente vel imprudente attentatum fuerit, id irritum sane erit et inane, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus per praesentes Litteras derogamus. Volumus praeterea ut harum Litterarum exemplis vel locis, sive typis impressis sive manu exaratis, eadem plane tribuatur fides quae hisce ipsis haberetur ostensis, dummodo ab aliquo publico tabellione subscripta sint et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munita. Nemini denique iis quae his Litteris descripta sunt obsistere liceat. Quod siquis temere ausus fuerit, sciat se

poenas esse subiturum iis iure statutas qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

† Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Cano. Ap., vol. LXXXVIII, n. 44.

II

DE NAPO
(DE AGUARICO)

AB APOSTOLICO VICARIATU DE NAPO EA REGIO DISTRAHITUR QUAE VULGO CANTON AGUARICO NOMINATUR, EXQUE EA NOVA APOSTOLICA PRAEFECTURA FIT, « DE AGUARICO » APPELLANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex quo tempore Deus voluit Nos ad summum Ecclesiae fastigium collocari rerumque religiosarum curam et administrationem habere, omnis Nostra sollicitudo eo tendit ut fides catholica, quo pulcherrimo dono nihil maius concessum est hominibus, quam amplissime propagetur, Deique gratia populorum vitam, instituta, consilia penitus perfundat. Cum igitur magnae supplicesque preces huic Apostolicae Sedi admotae sint, Nos magna spe moti posse, si eae admittantur, melius aptiusque

Aequatorianae regionis necessitatibus consuli fideique catholicae incrementis satius provideri, libentissimo animo iisdem concedere censemus. Quapropter, audita sententia S. Consilii Fidei Propagandae eorumque consensu suppleto, si opus sit, qui hoc in negotio aliquid iuris habeant; re denique attente considerata ideoque certa scientia earum rerum, quae decreturi sumus, de apostolica Nostra potestate sequentia decernimus. Quam regionem sua lingua *Canton Aguarico* Aequatoriani populi vocant, eam ab Apostolico Vicariatu Napensi detrahimus ac in novae Praefecturae Apostolicae formam redigimus. Quam ex ipsius regionis nomine a qua originem habet, appellari volumus de Aguarico, eamque iis omnibus iuribus, honoribus, privilegiis ornari quae ceterarum Praefecturarum sunt propria; item iisdem oneribus teneri quibus ceterae gravari solent. Eadem omnino sive iura sive onera ad eius quoque Praesules spectabunt. Novam Praefecturam Apostolicam, quam per has Litteras ereximus, sollicitis curis committimus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, Fratrum ex Ordine Minorum Capulatorum, qui, ut sunt quaerendae gloriae Dei studiosissimi, nulli operi nullisque laboribus parcent, christianae veritatis dilatandae causa. Quae his Litteris mandavimus venerabilis Frater Efrem Forni exsequenda curabit, in Aequatoriana Republica Apostolicus Nuntius idemque Archiepiscopus titulo Darnitanus, vel ille qui eo tempore quo haec decreta ad finem adducentur ei Nuntiaturae praeerit. Cui tamen negotium contigerit perficiendum ei omnes potestates agendae rei tribuimus, quas poterit alii quoque viro subdelegare, si opus fuerit, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Onus praeterea eidem facimus ut, cum res confecta fuerit, documenta exaranda curet eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae transmittat.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum siquis vel spreverit vel quoquo modo

detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die decimo sexto mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ CLEMENS Card. MICARA
Sacri Collegii Subdecanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 69.

III

NICTHEROYENSIS

IN DIOECESI NICTHEROYENSI COLLEGIUM CANONICORUM CONSTITUITUR

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sancta mater Ecclesia numquam non suum esse aestimavit non modo Deo optimo maximo eiusque sanctis templa vovere et dedicare, in quibus christianus populus supplices preces piaque vota funderet, sed etiam eadem frequentia ac celebria reddere sive caeremoniarum splendore, sive rituum sollemnitate, sive denique regali sacerdotum maiestate et dignitate. Libenter igitur excipit siquid propositum fuerit quod divini cultus decori conferre videatur. Cum ergo huius rei gratia venerabilis Frater Ioannes de Matha de Andrade y Amaral, Episcopus Nictheroyensis petierit ut ad iuris normam in cathedrali templo suae dioecesis Canonicorum Collegium erigeretur; cumque Sacra Congregatio Consistorialis, ea potestate quam a Nobis accepisset, admotis precibus concedere statuerit, Nos, quibus suprema cura omnium Ecclesiarum a Deo demandata fuit, id ratum habere censemus. Quapropter audita sententia venerabilis Fratris Caroli Chiarlo, Archiepiscopi titulo Amideni eius-

demque in Brasiliana Republica Apostolici Nuntii; ac suppleto, si opus sit, eorum consensum qui aliquod ius in hoc negotio habeant; re denique intento animo considerata, ideoque certa scientia eorum quae sumus decreturi, haec quae sequuntur statuimus. In Nictheroyensi cathedrali templo Collegium Canonicorum constituimus, quod octo Canonicis constabit duabusque dignitatibus, quae dicuntur, Archidiaconatu, scilicet, et Archipresbyteratu. E numero Canonicorum alter eligatur qui theologi munere fungatur, alter qui officio polleat peccata populi excipiendi et expiandi. Sive Canonicatuum sive Dignitatum assignatio ad normam iuris fieri debet, etiamsi primum concedantur. Indulgemus tamen ut, quousque singuli Canonicatus bona propria non habeant, assignari possint iis quoque sacerdotibus qui iam alio potiantur beneficio etsi cum animorum curatione coniuncto. Concedimus praeterea ut conventus canonicorum officiis persolvendis sacrisque caeremoniis peragendis, tantum agantur his diebus: in Nativitate, scilicet, Domini, in festo Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Deiparae Virginis Mariae caelo receptae, S. Ioannis Baptistae cui cathedrale templum est dicatum; ac denique die Dominica in Palmis atque in triduo sollemniori Maioris hebdomadae. Cum vero Canonici tanta dignitate augeantur ut amplum Episcopi senatum constituant, quem insuper sapienti consilio prudentique sententia iuvent, congruis quoque honoribus eos condecorari volumus: poterunt igitur in sacris caeremoniis caelebrandis sive Canonici sive Dignitates, intra fines propriae dioecesis, nigram induere vestem talarem fimbriis ornatam violaceis, zonam sericam pariter violaceam, rochetum cum reflexu coccineo in manicis, mozetam e serico villoso nigro cum fimbris coccineis et, pro anni tempore, cappam ex pellibus albi coloris, caligas denique induere viola tinctas. Quod autem ad reliqua tum iura cum onera attinet, iubemus ut quae Codice Iuris Canonici praecipiuntur, ea omnino serventur contrariis quibuslibet minime obstantibus. Ideoque, vixdum Collegium erectum fuerit, eo ipso Consultores dioecesani a suo munere cessabunt. Quae vero his Litteris praescripsimus exsequenda curabit idem venerabilis Frater Carolus Chiarlo, quem supra memoravimus, in Republica Brasiliana Apostolicus Nuntius, vel ille qui, cum negotium ad finem adducetur, ei Nuntiaturae praeerit. Cui autem contigerit res peragenda ei omnes potestates conficiendae rei concedimus, alii quoque viro subdelegandas, si opus fuerit, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Idem onus habebit documenta actae exsecutionis peragendi eaque, fide dignis exemplis, ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittendi.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus;

ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iis derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus.

Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo, harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta, in universum, siquis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die vicesimo primo mensis Novembris anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ CLEMENS Card. MICARA
Sacri Collegii Subdecanus

✠ Fr. I. ADEODATUS Card. PIAZZA
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 70.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

NORMAE ET FACULTATES

PRO SACERDOTIBUS IN SPIRITUALEM MARITIMORUM CURAM INCUMBENTIBUS NEMPE PRO CAPPELLANIS ET DIRECTORIBUS OPERIS « APOSTOLATUS MARIS » IUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE DUODECIMI EDITAE.

I

1. Pius Pp. XI, f. r., « Opus Apostolatus Maris, ad spirituale, morale ac sociale maritimorum commodum primo in urbe Glasguensi in finibus Scotorum anno MCMXX constitutum, suae benevolentiae testimonio cohonestare et Apostolicae Sedis adprobatione, die XVII Aprilis a. MCMXXII, ditare voluit; quod Opus, quum haud paucis celebratis conventibus et accedente Ordinariorum suffragio longe lateque iam pateret, ut Sacrae Congregationis Consistorialis moderamine frui ac potiri in posterum valeret, Nosmetipsi die XXX Maii a. MCMXLII libenter decrevimus » (Const. Ap. *Exsul Familia,* Tit, pr., *A. A. S.*, XLIV, p. 674).

2. « Apud eandem Sacram Consistorialem Congregationem institutum volumus alterum coetum, seu Secretariatum Generalem Internationalem, ad moderandum Opus Apostolatus maris, cuius est potissimum sive spirituale sive morale commodum fovere maritimorum, eorum nempe qui gubernandi aut inserviendi gratia naves conscendant, vel portibus addicantur maritima itinera adparaturi.

Huius Secretariatus moderamen, uti praeses, geret Adsessor Sacrae Consistorialis Congregationis, Delegatus vero ad opera de emigratione secretarii munere fungetur.

In Secretariatum autem cooptari poterunt:

1° Viri illi ecclesiastici qui in unaquaque dicione seu natione Directores huiusmodi operis ab Episcopis eliguntur;

2° Ceteri sacerdotes, qui, de eodem opere provehendo bene meriti, digno laudis testimonio sint cohonestandi ». (Ibidem, Tit. alt., art. 8 § 1, § 2, § 3: *A. A. S.*, XLIV, p. 695, s.).

II

3. Legitime assumpti in officium Cappellani vel Directoris — pro unaquaque Dicione seu Natione — Operis Apostolatus maris censentur sacerdotes, qui ab Ordinariis praesentati, a Sacra Congregatione Consistoriali, peculiari obtento Rescripto, adprobati et nominati sunt.

4. Sacerdotibus in officium vel Cappellani vel Directoris Operis Apostolatus maris legitime assumptis eadem valent, congrua congruis referendo, quae de Cappellanis navigantium eorumque Directoribus praecipiuntur in Constitutione Apostolica *Exsul Familia* Tit. alt., capite III.

5. In sacris peragendis et in divino Officio recitando, itinere maritimo perdurante, Sacerdotes in navi versantes uti possunt kalendario Ecclesiae Universalis.

6. In Canone Missae, itinere maritimo perdurante, exprimitur nomen Papae, reticita cuiuslibet Antistitis memoria.

7. Cappellani Apostolatus maris tenentur quoque obligatione conficiendi baptizatorum, confirmatorum et mortuorum libros, eosque Directori tradendi in archivo custodiendos.

8. De huiusmodi libris custodiendis et de authentico eorundem exemplari ad Curiam transmittendo, S. C. Consistorialis statuit:

1° ut authenticum exemplar librorum baptizatorum, confirmatorum et mortuorum a cappellanis Apostolatus maris conscriptorum, ad Curiam transmittatur dioecesis in qua Directoris officium est constitutum;

2° ut unius Directoris sit huiusmodi exemplaria a se exarata ad Curiam transmittere;

3° ut eiusdem Directoris sit de numero eorum, qui a Cappellanis Apostolatus Maris confirmati sunt, vigore facultatis de qua infra sub n. 9, 1°, et de ratione ab iisdem tanquam ministris extraordinariis in munere perfungendo adhibita, quolibet anno, sub initio anni proximi insequentis, ad Sacram Congregationem Consistorialem et ad Ordinarium memoratae dioecesis mittere relationem;

4° ut adamussim servatis hac de re sacrorum canonum normis, de actis in libris conscriptis quamprimum etiam parochus domicilii eorum de quibus in libris agitur a Directore certior fiat;

5° ut Director nationalis suo utatur sigillo, habeatque tabularium seu archivum in quo memorati libri custodiantur una cum Sacrae Congregationis Consistorialis et Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis vel utilitatis causa, servandis.

6° ut unius Directoris sit litteras testimoniales, iis quorum interest, dare.

III

9. Cappellanis Operis Apostolatus maris eiusdemque Directoribus de quibus supra n. 3, haec, quae infra recensentur, facultates seu privilegia *durante munere* tribuuntur.

1° Facultas administrandi, ad normam Decreti Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Spiritus Sancti munera* (*A. A. S.* XXXVIII, p. 349 ss.) sacramentum Confirmationis maritimis ex gravi morbo in mortis periculo constitutis.

2° Facultas administrandi sacramentum Confirmationis, itinere maritimo perdurante, cuilibet puero vel adulto primum in ipsa navi sacra Synaxi refecto; dummodo nullus adsit Episcopus communione gaudens cum Apostolica Sede, et praevideatur confirmandum vel aetate vel inscitia sermonis vel loci adiunctis nonnisi magna cum difficultate in regione immigrationis hoc Sacramentum recepturum, ceterisque servatis de iure servandis ac potissimum, quod attinet ad ritum, Instructione pro simplici sacerdote sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante in Appendice Ritualis Romani inserta.

3° Privilegium altaris portatilis dummodo Missa celebrari debeat in commodum maritimorum; quo uti licebit etiam in mari, iis cautis tamen sartisque quae hac de re habentur in Constitutione Apostolica *Exsul Familia* et praesertim Titulo Altero, art. 28.

4° Facultas celebrandi Sacrificium Missae in navibus, etsi oratorio legitime erecto careant, nocte Nativitatis Domini dummodo celebrationi Missae praemittantur sacrae supplicationes per spatium saltem dimidiae horae et initium Missae ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem, remoto semper quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

5° Facultas celebrandi Missam in navibus, etsi oratorio legitime erecto careant, nocte quae intercedit inter diem XXXI decembris et I insequentis ianuarii, quolibet anno, cum facultate Missam inchoandi ipsa media nocte, dummodo sacrae supplicationes perdurent spatio circiter duarum horarum, in hoc comprehenso celebrationis Missae tempore, remoto semper quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

6° Privilegium celebrandi unam Missam feria V Maioris Hebdomadae.

7° Facultas bis vel ter litandi diebus dominicis et festis de praecepto necnon feriatis in commodum maritimorum quoties necessitas urgeat consulendi eorum bono spirituali per Missae celebrationem.

8° Quoad celebrationem Missae horis vespertinis seu de sero standum est Decreto Sacrae Congregationis S. Officii diei XXXI maii a. 1953 (*A. A. S.*, XLV, p. 426).

9° Facultas absolvendi, itinere maritimo perdurante, poenitentes quoslibet a censura quam ad tramitem can. 2350 § 1 C. I. C. abortum procurantes incurrunt, servatis de iure servandis.

10° Facultas absolvendi, maritimo itinere perdurante, servatis de iure servandis necnon ceteris quae a Sacra Poenitentiaria huiusmodi in adiunctis imponi solent, et in casibus in quibus, iuxta normas in Codice Iuris Canonici can. 2314 § 2 statutas, Ordinarius ipse absolvere posset, quoslibet poenitentes, quavis ratione in navi versantes, a censuris et poenis quibus detinentur ob apostasiam, haeresim vel schisma, exceptis tamen haereticis haereses inter fideles e proposito disseminantibus, tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas, eorumque abiurationem, iuridice peractam, recipiendi.

11° Directoribus Nationalibus, iisque tantum, facultas excipiendi, in casu necessitatis, confessiones cuiuslibet fidelis ad se accedentis in locis prope ora maritima suae Nationis, dummodo Director approbatus fuerit ad excipiendas confessiones a proprio Ordinario.

12° Facultas benedicendi sacerdotalia indumenta, mappas et tobaleas seu linteamina altaris, corporalia, tabernacula seu vascula pro sacrosancta Eucharistia conservanda et cetera quae ad divinum cultum inserviunt.

13° Facultas benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria, cruces, parvas statuas et numismata; adnectendi insuper coronis indulgentias a S. Birgitta et a Patribus Crucigeris nuncupatas.

IV

10. Licet maritimis per integrum anni tempus praecepto paschalis communionis satisfacere.

11. Christifideles in navibus versantes, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam die II augusti, toties consequi valent quoties Oratorium in navi legitime extans, ubi ex indulto apostolico Sanctissima Eucharistia custoditur, pie visitaverint ibique sex *Pater*,

Ave et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint.

12. Iidem christifideles, iisdemque condicionibus, Indulgentiam plenariam pro defunctis applicandam die II novembris, toties consequi valent quoties praedictum Oratorium pie visitaverint ibique sex *Pater, Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die II mensis Aprilis anno Mariali MCMLIV, in festo S. Francisci a Paula, Patroni Italorum navicularium.

✠ Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, *Adsessor*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Causae quae in Tribunali Sacrae Romanae Rotae actae sunt anno 1953, quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.

Cum ad edendas animadversiones peculiaris quidam Defensor vinculi deputatur, iam ad idem matrimonium iuxta SS. Canones tuendum intervenit unus ex S. Tribunalis Defensoribus vinculi, qui sunt: R. R. D. D. Iosephus Stella, Aegidius Del Corpo, Ovidius Bejan.

I. Taurinen. - Nullitatis Matrimonii *ob simulationem consensus.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Costa Albesi.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 24 Februarii 1951 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 3 Ianuarii 1953: Confirmandam esse, ideoque non constare de matrimonii nullitate, in casu ».

II. Ianuen. – Nullitatis Matrimonii *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: P. Felici, *Ponens,* B. Filipiak, G. Doheny.

Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.

Advocatus: M. D'Alfonso.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 18 Iulii 1951 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 7 Ianuarii: « Confirmandam esse, ideoque constare de nullitate matrimonii, in casu ».

III. Utinen. – Nullitatis Matrimonii *ob simulationem consensus, ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, D. Staffa.

Vinculi Defensor deputatus: E. Wagner.

Advocatus: I. Torre.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 7 Ianuarii: « Negative ».

IV. Vic. Ap. de Mogadiscio – Nullitatis Matrimonii *ob simulationem consensus, ob conditionem appositam, ob vim et metum.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, P. Mattioli, *Ponens,* E. Bonet.

Vinculi Defensor deputatus: I. Sirna.

Advocatus: I. Limongelli.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 7 Ianuarii: « Negative ».

V. Auximana seu Florentina – Nullitatis Matrimonii *ob exclusum bonum sacramenti.*
Turnus Rotalis: I. Pasquazi, *Ponens,* G. Doheny, P. Mattioli.
Vinculi Defensoris Substitutus: O. Bejan.
Dubium: « An sententia Rotalis diei 28 Februarii 1949 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».
Advocatus: F. Cartoni.
Sententia diei 7 Ianuarii: « Infirmandam esse, ideoque constare de nullitate matrimonii, in casu. Vetito, tamen, utrique parti in causa transitu ad alias nuptias nisi prius coram loci Ordinario, sub fide iurisiurandi, promittant se consensum matrimonialem praestituros esse ad normam Codicis (can. 1081, § 2) ».

VI. Perusina – Nullitatis Matrimonii *ob exclusum bonum sacramenti.*
Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.
